





- 1 Baumgarten f. Sigism. Juc. f. meditatio-
nes quarum de genuina et spuria
edificatione spirituali Medij illius
legitimis et illegitimis, Halle, 1747.
- 2 Brunings f. Christ. f. diff. de Christo
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Clossen f. Jev. Sigism. f. diff. de opere
dei miraculoso, Gratioso et glorioso
in sanctis rediivis demonstrato,
Francof. 1726.
- 4 Clauwitz f. Bened. Gottl. f. diff. de
Spiritu sancto archabone, Halle, 1747.

5. Crüger f. Theod. f. Diff. de eo quod iustum
est circa morem se devovendi pro Salute
alterius, Wittenbergo, 1729.
6. Fehmel f. Joh. Salom. f. Diff. in Locum Rom.
IX. vi 28. Lipsiæ 1747.
7. Fleßa f. Joh. Ad. f. observationes
variae theologico-philosophicæ.
Helmstedt 1747.
8. Forbiger f. Chr. Sam. f. swift forhigung
für die Anstalt der Freyrietz Art,
Leipzig 1747.
9. programma Academiæ Fredericiand
in diem natalem Jesu Christi,
1747.
10. ————— in festum paschator
1747.
11. programma Academiæ Gœtting.
gensis in festum pentecostes,
1747.
12. Georgij f. Chr. Sigism. f. Diff. de
gratuita Operariorum, in vineam
Christi vocatorum, mercede, Witten-
bergo, 1745.
14. ————— de Anno Dei in Ara
Crucis mactato, Wittenbergo 1747.
15. ————— de resurrectione Jesu
Christi, Wittenbergo, 1747.
- + 13. ————— Diff. de Crimine Magid.
Wittenbergo, 1746.

- 16 Hebenstreit / Joh. Chr. / Diff. De natura
Aquila, Lipsiae, 1797.
- 17 Heumann / Christoph. Aug. / Diff. de
Vocatione Divina ad Ministerium Eccl.
Pastoricum, Goettingae, 1797.
- 18 Hurmann / Gustav Christoph. / Exc.
citationes exegeticae, Kiliae, 1796.
- 19 Jablonski / Pauli Ernesti / Diff. de
insufficientia sacrificiorum in Veteri
et sufficientia sacrificij Christi
in novo Testamento, Francof. 1725.
וְיִצְחָק בֶּרֶךְ אֲבִירָא
Francofurti 1727.

- 20 ~~17~~ 20
- 24 Lafius / Heom. Jac. / Diff. de
poenitentia Deo adserta, Gry.
phirwaldio, 1797.
- 27 programma Academiæ Lipsiensi
in memoriam Christi redivivi,
1797.
- 23 Michaelis / Joh. Georgii / Diff. de
Janne et Janbre Janoris Aegyptiorum
Magis, Halle, 1797.

- 24 Olearius / Benj. Christoph / sur
 dem neuen in theologen für den
 wüßigolofen im reßigen Oben
 iena, 1747.
- 25 Overkamp / Georg / Wilh. / diff. in
 pericopam Evangelicam Matth. XXI,
 v. 1-9. Gryphirwalde, 1747.
- 26 Pfaff / Christoph. / Matth. / diff. Num.
 ex verbis paulinis: quis te discernit.
 predestinatio absoluta ex culpa
 proffit. / tubinge, 1746.
- 27 ——— de precibus Christi
 pro Crucifixoribus suis factis, tubinge,
 1746.
- 28 ——— de poena temporali
 post remissionem culpam non luenda,
 tubinge 1746,
- 29 ——— de poenis divinis, ob
 aliena peccata inflictis, tubinge
 1747.
3077. programma Rostochienfis
 paschale, nem. oßv. zoläißer.
 1747.
- 31 Sperbach / Car. Gott. / diff. de
 iudeis, ob iesum crucifixum,
 crucifizendis, nec tamen ad eum
 convertendis, Wittenberge 1747.

- 16 32. Bauer s. Frid. Em. / Diff. de Canone
accusantium distinctivorum, Wittenbergae
- 17 33. Walek s. Joh. Georgii / ¹⁷⁹⁷ Diff. de Sacra
Coena a Laicis administranda,
sicud 1797.
- 18 34. Weirmann / Chr. Eberk / Diff. de Sensu
tutissimo Confessionis mutud ex
jacobbo U. v. B. Tubingae 1796.
- 19 35. Dignitas Corporis hominis
Christiani ex qualitate Domus et
Templi Dei, Tubingae 1796.
- 20 36. noxia mutatio sermō
docendi de Lege et Evangelio,
Tubingae, 1796.
- 21 37. jansenismus Bifrons in
doctrina de Ecclesia, Tubingae, 1797.
- 22 38. Wally s. Christoph. / Diff. oratio in
Contemptores Religionis Christianae
Lipsiae 1796.
- 23 39. Curiae fructuosa de morte
Mosis, Gen. VI, v. 2. Amsterdam
1727.

Q. B. V

DISSERTATIONEM
PHILOLOGICO-EXEGETICAM

DE

GRATVITA OPERARIORVM
IN VINEAM CHRISTI VOCATORVM
MERCEDEAD ILLUSTRANDAM DOMINI PARABOLAM
MATTH. XX, 1-16

PRAESIDE

CHRISTIANO SIGISM. GEORGIO

PHILOLOGIAE PROFESSORE PUBLICO

AD KALENDAS MAIAS A. R. S. cl5 15 CC XLV

IN AUDITORIO MAIORI

DEFENDET
AVCTOR

IOANNES HLIVAI ZOL. HVNGARVS



CHRISTIANUS SIGISMUNDUS
IN VITAM THEOPHILASTI
GRATIA OTTAVIANI
AD HONORANDUM DOMINUM
FRANCISCVS
CHRISTIANVS SIGISMVNDVS
AD HONORANDUM DOMINUM
FRANCISCVS



P R A E F A T I O



Si, quanta Sospitator optimus, in recludendis generi humano coelestis doctrinae fontibus, usus fidelitate perspicuitateque fuit, tanta singulorum, qui eius sese discipulos cultoresque profitentur, in hauriendis iis, esset fidei simplicitas, tantaque animi moderatio, non tantum tot tantisque Ecclesia, quae intestina ei bella inflixerunt, uulneribus non esset lacerata, sed longe etiam tutius, sua uerbo Dei, apud homines, constaret auctoritas, religiosius ab omnibus sanctissima fidei dogmata haberentur, eoque ipso, sententiarum sese mutuo destruentium migraret uarietas. At, quia (quae praua humani animi indoles est,) alii caeco tantum apertissimis etiam ueritatibus, contradicendi zelo abripiuntur, alii ultra sibi, quam par est, sapere, uideri uolunt, alii denique nescio, quae praeiudicatarum opinionum monstra, quoties ad lectionem uerbi diuini accedunt, secum adferunt, quaeque semel imbiberunt animo placita, regulam ueluti, falli nesciam, nullo non tempore sequuntur, uerum omnino deprehendimus illud esse, quod ille, qui ipsa audit ueritas, Doctor coelestis, diuino Spiritu praedixerat, Matth. XIX, 7, ἀνάγκη ἐστὶν εἰσὶν εἰσθῆν ταὶ σκάνδαλα. Quod, quantopere ad nostra inprimis tempora quadret, multis demonstrare necesse non est. Offendicula enim, quemadmodum in moribus hominum, ita in ipsa etiam doctrina, eiusdemque facie diuersissima,

infinita, proh dolor! in dies conspiciuntur. Si ab exem-
 plis repetendum causae praesidium sit, unum ex innu-
 meris adferre licebit, notissimae illius, quam Scriptor di-
 uinus, Matthaeus cap. XX, inde a v. 1, usque ad 16, no-
 bis sistit, pericopae. Quanta hic sententiarum collisio,
 quam uariae simplicissimorum uerborum in hanc illamue
 partem detorsiones deprehenduntur, adeo, ut mirum ui-
 deri possit, mortalium plerosque, non secus, ac, qui in ipsa
 luce meridiana caecutiunt, a sensu scopoque Spiritus
 Sancti tam procul aberrare. Quid quod, qui in nostris
 etiam militant castris, piorum Scripturae interpretum,
 non una eademque praesenti de loco mens est? ta-
 met si, qui in eo, quod caput totius rei esse uidetur, a
 nobis recedant, oppido sint paucissimi. Non igitur ni-
 hil egisse uidebimur, si, quod iam apud nos constitui-
 mus, istius, quod momenti sane maximi est, historiae
 Euangelicae pensi, tum parabolae corticem, tum nu-
 cleum simul, h. e. scopum, finem, et usum, quem inten-
 debat Sospitator, pro uirili explanauerimus, ab eorum-
 que, qui in transuersum eunt, obiectionibus uindica-
 uerimus. Prius uero, quam ipsi manum operi admo-
 ueamus, ne quicquam nostris, quae tenues, uel certe
 nullae sunt, uiribus ingenii, temere tribuisse uidea-
 mur, diuinum auxilium ardentissimis efflagitamus pre-
 cibus, uelit institutum hocce nostrum ita moderari, ut
 et sanctissima laus eius, et piorum emolumentum eo-
 dem promoueatur, insuper, ne quidpiam, quod
 alienum a ueritate sit, obrepat, cle-
 menter prohibere.

EVAN.



EVANGELIVM DOM. SEPTVAGESIMAE

MATTH. XX, 1 -- 16 EXSTANS

VERSUS I ET 2

1 Ομοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ἔστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωτὸν μισθώσασθαι ἐργά-
 2 τας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ. Συμ-
 φωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργατῶν ἐκ δη-
 ναρῆς τὴν ἡμέραν ἀπέστειλεν αὐτοῦς εἰς
 τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

Simile enim est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit cum primo mane conducere operarios in vineam suam. Conueniens autem cum operariis ex denario diem, misit eos in vineam suam.

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Γ



μοία γάρ ἐστιν — οἰκοδεσπότῃ. Simile est enim. Particula γάρ, quae ad antecedentia, v. 16, sqq. cap. XIX recensita, digitum ueluti intendit, nexumque cum his intimum inculcat, attendenda ante omnia h. l. est. Postea, nimirum, quam iuuenis quidam, quem s. LUCAS, cap. XIX, 18, ἀρχοντα appellat, ueniens ad Iesum quaesiuisset, quo operum genere haereditatem uitae aeternae consequi posset, id quod s. MATTHAEVS, cap. XIX, 16, patheticis describit uerbis, quando eum ita loquentem inducit, Διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον, Sospirator v. 17, καὶ ἄνθρωπον, et prout hypothesis, quam more Iudaeorum, Rom. XI, 31, 32, fouebat iuuenis, exigebat, respondit, εἰ θέλεις, εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν. Ἰηρ-
 σου

A

στον Ἰᾶς ἐντολᾶς, v. 18 et 19 recensitas. Hic, iuuenis, qua erat praeci-
 pitantia, et nimia de perfecta quadam sanctitate persuasione, arroganter
 v. 20, πάντα, inquit, ταῦτα ἐφουλάξωμην ἐν νεότητός μου, τί ἐτι ὑπερῶ;
 At Sospitator, cuius est renes et corda hominum scrutari, *Psalm. VII, 10,*
Jerem. XVII, 10, Act. I, 24, atque adeo nosse, quid sit in homine, *Io.*
II, 25, praeiudicatam adolescentis mentem facile introspiciebat, utpote qui
 naturam amoris, lege praeccepti, ne quidem recte perceperat, multo mi-
 nus pro eo, ac debuisset, expleuerat. Quocirca eum uanae iactantiae ar-
 gaturus, quod proximum non, ut sibi adulabatur, v. 20, amasset, contra
 uero eum ad sui amorem, ad γινῶθι σεαυτὸν, rectumque ueritatis trami-
 tem perducturus, iubet partim bona, quibus affluebat, diuendere, larga-
 que pauperes manu excipere, partim se, ualde tum temporis exinanitum,
 presso sequi pede. Hac scilicet ratione quemadmodum detecturus erat
 Dominus, quam longe a uia, quam se incedere putabat, iuuenis abesset,
 quamque in amando proximo, multoque magis Deo, frigeret, ita simul
 tacite negauit, uitam operibus eorumque meritis consequi quemquam posse.
 Neutrum enim hic bonorum copia, operumque perfectione, inflatus ho-
 mo, executus erat, tantumque abest, ut, bona diuendendo, uocantem se Do-
 minum secutus fuisset, ut potius, Dei, proximi, suiue ipsius legitimo amo-
 re posthabito, terrenos coelestibus thesauros antetulerit, et λυπέμενος abi-
 erit, v. 22. Quo factum est, ut uitam aeternam ei, et plerisque aliis diui-
 tibus, qui eadem oberrare plerumque chorda solent, denegarit Dominus.
 Quamuis uero praesentibus Discipulis gesta haec fuerint, adeo ut, sapientio-
 res eos alieno malo futuros, sperare quilibet iure potuisset, frustra tamen hoc
 inprimis a Petro, expectabit quispiam. Hic enim, qui sibi tum aetate, tum
 etiam temporis, quo Christum sequebatur, praerogatiua reliquis antecellere
 uidebatur, eadem, qua iuuenis ille, lue infectus, speque uitae, operibus con-
 sequendae, lactatus, audiens, iuueni pro terrenis coelestes promitti thesau-
 ros, uana inescari opinione coepit, paria sibi et commilitonibus, uel certe
 maiora praemia iure meritoque decretum iri. Reuocabat scilicet ad ani-
 mum, quomodo omnia cum sociis, causa Christi dereliquisset, quomodo
 Iesum, idque ab initio statim, secutus fuisset, quomodo incautus iuuenis, eo,
 quod bona sua pluris ipso Christo fecisset, coelo indignus sit habitus, et quae
 alia phantasiam eius in transuersum rapiebant. Hinc tacite quasi apud se-
 met ipsum ratiocinabatur, quodsi ad uitam aeternam consequendam requira-
 tur, ut quis bona diuendens sua, Dominum sequatur, magna, immo maxima,
 occupandarum sedium coelestium sibi omnino competere priuilegia, quippe
 qui plus Domino, quam reliqui eum secuturi, seruiuisset, tametsi postero-

res

res hi uel maxime bona etiam sua diuenderent. Nec suppressere amplius dominantem animo gloriae cupidinem potuit, sed tanquam certior de ueritate rei ipse cum commilitonibus, *πρωτοκλισίας*, *Matth. XIX, 1*, *Marc. IX, 33, 34*, *X, 37, 41*, aliarumque praerogatiuarum in regno Domini candidatis fieri uellet, ita ad Dominum, *Idē*, inquit, *ἡμεῖς ἀφῆκαμεν πάντα, καὶ ἠκολούθησαμέν σοι, τί ἄρα ἔσται ἡμῖν*; *Ecce, Domine, altius, quaeso, expende, nos reliquisse omnia, secutosque te esse inde a principio, quod ipse fateberis* *Quid ergo, cum iuueni thesauri tam pretiosi spem feceris, eumque adeo ante, quam comitatui se tuo adiungeret, dilexeris, Marc. X, 21, nobis erit?* Ergone aequalis nostra aliorum conditioni fors erit? nullane nostrum erit in regno tuo praerogatiua? Nonne primae nos in regno tuo partes manebunt, praemiaque excellentissima, qui primi secuti te sumus, plus aliis tibi seruiimus, eoque plus reliquis tuam sumus demeriti gratiam. Ad hanc igitur Petri quaestionem praecipitatem non solum, sed et inuidiam spirantem maximam, ad hanc inquam praedicatam opinionem, qua bona spiritalia et coelestia suo ipsius merito, suaeque dignitati, non diuinae adscribebat gratiae, reposuit Dominus, ipsos quidem Apostolos praerogatiua quadam, sed quae ex mera gratia diuina proueniat, gauisuros, *v. 28*, fore tamen nihilominus, ut alii quoque Christum secuturi parem referant gratiam, *v. 29*. Non esse igitur, ut, vel maiorem sibi thesaurum deberi, uel se priorem aliis propter opera fore, sibi persuadeant, futurum quippe esse, ut excusuri hac ratione spe sua sint, futurique ex primis ultimi, quod Iudaeis plerisque accidit, *Rom. IX, 31, 32*; contra uero ex ultimis primi euasuri, qui non meritorum suorum, sed gratiae diuinae fiducia, exemplo gentilium, de quibus Paulus, *Rom. IX, 30*, ducuntur *v. 30*. Ita monens Dominus Petrum ac reliquos Apostolos, ut ne Iudaeorum reliquorum, operibus et nobilitate sanguinis superbientium *Io. XIX, 33*, *Rom. IX, 4, seqq. 31, 32*, exemplo, quae ex gratia ipse promississet, ipsi merito operum adscriberent, multo minus aliis collata coelitus dona inuiderent, clarissime euicit, in regno eius mercedem dari, non ex debito, et ui operum, sed ex gratia, ui promissionis. *Est enim, inquit, simile regnum coelorum homini, i. e. cuidam (Vid. Excell. Praefidis mei Vindic. Nou. Test. ab Ebraism. p. 259.) patrifamilias. Quae uerba a) ex GROTII ad h. l. sententia idem sonant, ac si scriptum esset, Similiter se habet aequitas diuinae dispensationis, circa regnum caeleste, ac si quis paterfamilias exiret, et quae sequuntur, β) per hypallagen, obseruante GLASSIO, in Philol. S. p. m. 2241, sunt posita. Cum patrefamilias enim regnum coelorum confertur, quod cum uinea erat comparandum, ut sensus sit, Simile est regnum coelorum uineae, in quam paterfamilias missurus operarios,*

rarios, ad conducendum eos exibat. Quales locutiones complures in Scri-
 pturis occurrunt, ut *Matth. XIII, 24*, *Simile est regnum coelorum homini,*
seminanti bonum semen, i. e. simile est bono, quod homo spargebat, *femi-*
ni, v. 45, *Simile dicitur regnum coelorum mercatori, quaerenti bonas marga-*
ritas, i. e. bonis margaritis, a mercatore quopiam quaesitis, reliqua. Quan-
 quam alii, per *regnum coelorum metonymice* ipsum regem huius regni de-
 notari, malint, quo et ZEGERVVS ad h.l. et MARLORATVS *apud BACKI-*
VM, in *Euang. Exposit. p. 424*, respexisse videntur, per *regnum coelorum*
 Regem coelorum Christum significari, existimantes, ut sentus sit, *Domini-*
us, Rex coelorum Christus, similis est patrifamilias. Quemadmodum vero
ex antecedenti *cap. XIX* evidens satis est, de tali regno, in quo merces ex-
 pectatur, sermonem esse, uid. v. 27, *sqq.* adhaec in similis parabola ex-
 positione, *Matth. XIII, 24*, coll. v. 37, Dominus, non per regnum coe-
 lorum, sed per seminantem, se indigitari, asserit, ita nulla adest ratio fir-
 ma, quae nos, ut h.l. per regnum coelorum Christum intelligamus, urgeret,
 qui conuenientius omnino nomine patrifamilias exprimitur. Praestat
 igitur in recepta, tum ueterum, tum recentiorum, persisterent sententia, qui
 per *regnum coelorum*, a solo MATTHAEO ita nuncupatum, a reliquis ue-
 ro Θεοτανέυσις *regnum Dei*, *Marc. I, 15*, *Rom. XIV, 17*, *Luc. XVII, 20*,
1 Cor. XV, 24, *regnum filii Dei* appellatum, *Coloss. I, 13*, *cet.* intelligunt
 gratiae his in terris regnum, quod in V. T. Prophetæ diuino instinctu prae-
 dixerunt, *1 Chron. XII, 11, 17*, *Ies. IX, 6, 7*, *Ierem. XXIII, 5, 6*, *Dan.*
II, 44, quod Iudaei expectarunt, etsi falsa de eo opinione imbuti, acsi
 mundanum esset regnum, a Messia, oppressis Romanis, instaurandum, quod
 Iohannes Baptista alta inter Iudaeos uoce proclamauerat, *Matth. III, 2*, et ipse
 Dominus una cum Apostolis praesto esse adseruerat, *Matth. X, 7*, *Luc. X, 9*,
 ac posthac inter gentiles etiam publicari iusserat, *Marc. XVI, 15*, *Luc. XXIV,*
47, *Act. I, 2, 3*, *IIX, 12*, *XXIIX, 23, 31*. Hoc igitur regnum, (quod
 aduenisse *Luc. X, 9*, dicitur, non quasi in V. T. destituti eodem fideles fuif-
 sent, eadem enim iis in semine benedicto fuerat, quae nobis, salus, eadem
 ad salutem perueniendi uia, *Gen. III, 15*, *Act. IV, 11, 12*, *XV, 11*, *Eph. I, 4*,
 sed quia in illo Christus credebatur exhibendus, typisque solummodo ad-
 umbratus, in hoc uero exhibitus, in illo umbra, in hoc corpus ipsum,
 missis umbris, uisum est, *Ebr. X, 1*, *cet.*) uocatur *regnum coelorum*. *Re-*
gnum audit, quia Dominus in eo his, quos sanguine suo acquisiuit, *Act. XX,*
28, *1 Petr. I, 18, 19*, *II, 9*, *ἀνομιανόρηναιε* praest, eos benigne con-
 seruat, gubernat sapientissime, tuetur potentissime, ut nemo eos ex manu
 eius rapere possit, *Io, X, 27, 28*. *Coelorum* uero regnum appellatur, quia,
 quemad-

quemadmodum fundator et rex eius est Filius hominis de coelo, *Io. III, 13*, Θεάνθρωπος, *1 Chron. XIX, 17*, *Psal. II, 6, 7*, *1 Cor. XV, 24, 25*, ita et ipsum hoc regnum, non de mundo, *Io. XIX, 36*, sed de coelo est, *Dan. II, 44*, coelestia praeterea in eo bona sunt, uerbum et sacramenta, *Eph. I, 3*, coelestia sunt dona, pax, gaudium, consolatio, iustitia, patientia, cetera, coelestia sunt, quae eius incolae quaerunt, *Phil. III, 20*, *Coloss. III, 1, 544*. *Ebr. XI, 16*, *XIII, 14*, et ad quorum fruitionem eodem perducuntur. Atque per hoc ipsum coelorum regnum, quod his in terris est, non regnum gloriae, seu uitam aeternam, quod plerique Pontificiorum mallent, h. l. intendi, nemo, qui penitius singulas textus περιάσεις ad animum reuocauit, ibit inficias. Quid enim ad regnum gloriae cultura vineae spiritualis laboriosa? quid inuidus oculus? quid iniqua murmurantium indignatio? Nullus certe, sunt uerba GREGORII, *Hom. XIX*, in h. l. *murmurans regnum coelorum accipiet, nullus, qui accipit, murmurare potest*. Locus enim ille omnis liuoris et perturbationis est expers, nec ullus vitiosus adfectus, nec ulla imperfectio, nec ulla infirmitas in *ισαγγέλοις*, *Matth. XXII, 30*, et qui Deo similes erunt, *1 Io. III, 2*, datur. Sed age, nunc, quis per *οικοδοσπότην* intelligendus sit, uideamus. Veterum non pauci, ut AVGVSTINVS, HILARIVS, CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, RABANVS, alii, Christum, idque non sine fundamento, intellexerunt, quibus nec nos refragabimur. Etenim, ipse Christus *οικοδοσπότην* sese uocat, suum hoc nomine commendaturus in regno gratiae officium, *Matth. X, 25*, *XIII, 27, 52*, *Luc. XIII, 25*, coll. *Matth. VII, 22, 23*. Ipse Christus Apostolis, *παράκλητον* se missurum, promisit, qui uerus ille *ἐπίτροπος* est, mercedem in regno gratiae distribuens, *Matth. XIX, 28, 29*, *Luc. XXII, 29*, *Io. XVI, 7*. Ipse Christus in regno gratiae, Rex et caput est, *Pf. II, 6*, *Matth. XXVIII, 18*, *1 Cor. XV, 24, 25*. Accedit denique, regnum hoc regnum Filii Dei appellari, *Coloss. I, 3*, coll. *Io. XIX, 36, 37*. Ecquis igitur dubitaret, Sospitorem esse *οικοδοσπότην* in hoc regno suo? Nec tamen dicam erroris scribemus aliis, quorum haut pauci inter veteres aequae, ac recentiores, sunt, qui pro prima diuinitatis persona hic decertant, eo nixi fundamento, quod ipse quoque Pater *οικοδοσπότης* nomine ueniat, *Matth. XXI, 33*, uid. MATTHAEI POLI *Synops. ad h. l. STOCKII Notae N. T. ad h. l. IO. HENR. SCHRAMMII Dissert. in hanc Parab. Summe Vener. MOSHEMII Cogitationes in hanc Parab. Auctores Synops. STARCKIANAE*, conf. *Hefisch. Heb. Opffer* anni 1738, p. 745, alii. Cum enim opera ad extra sint indiuisa, quo et ipsum *οικοδοσπότης* munus refertur, nullum est dubium, quin illud de Patris quoque persona praedicari possit.

possit, prout *Matth. XXI, 33* praedicatum legitur. Interim tamen hoc loco de Filio potius, quam Patre, accipiendum ob rationes, paulo ante allatas, uidetur. Hic igitur est,

ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρῶτ' μιθῶσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ, qui, de uineae suae incremento sollicitus, et pro eius salute uigilans, exiit tempore N. T. cum primo mane, i. e. ut HERODOTVS in *Thalia* dixit, αὐ' ἠύερα διαφωσκύση, cum die illucescente, da es begunte zu tagen, mit dem Tage. Recte PRICAEVS in *Matthaeo illustrato*, ad h. l. p. 177, Non temere autem, et fortuito, ἅμα πρῶτ' dicitur, sed ex usu rusticae disciplinae. Sic *Eccles. XI, 6*, ἐν τῷ πρῶτ' σπείρον τὸ σπέρμα σῶ. HESIODVS

ἀρότοιο καθ' ὄρην
πρῶτ' μάλα σπείδων

Ita et HOMERVS, *Il. βιβλ. Φ.* ἅμα ἡοὶ Φαινομένη, conf. RAPHELIVS in *Not. Xenoph.* ad h. l. Intelligimus autem h. l. tempus, quo Sospitator suum propheticum ingressus officium est, tamen si alii, qui, per horas in hac parabola memoratas, mundi indigitari aetates, aiunt, hoc mane, tempus a creatione proximam, ab *Adamo* nimirum, usque ad *Noam* intellectum uelint. A quorum sententia recessit nouissime *Celeb. HERM. von der Hardt*, quod ex *Catalogo lectionum*, futuro semestri, in illustri Iulia praelegendarum, publici iuris facto, uidere licuit, ac per diem ambitum duorum millium annorum ab *Abrahamo* usque ad *Christum* intelligere se professus est, et per quatuor horarum interualla, quatuor regni Iudaici periodos, intra illos 2000 annos usque ad *Hierosolymae* bustum. Cl. uero TRILLERVS paulo aliter sentit, tempus a *Mose* usque ad *Iohannis* tempora diei habens nomine, ita ut speciatim per mane illud acceptum uelit tempus, quo *Moses* in *issu Dei* uerbum diuinum per oralem traditionem hucusque propagatum litteris consignauerit, cer. uid. eius *Untersuchung etlicher Derter des N. T.* p. 95. Neque desunt, qui, uti per horas distinctos, respectu uniuscuiusuis hominis, aetatum gradus denotatos uolunt, ita matutini diluculi schemate infantilem, seu puerilem, aetatem exhiberi, contendunt. Plerique autem alii, ueluti, ORIGENES, FVLGENTIVS, GREGORIVS, HIERONYMVS, HILARIVS, THEOPHYLACTVS, ceteri, utrumque, rum mundi, tum cuiuslibet sigillatim hominis aetatem coniungunt. Locos eorum allegatos exhibet STATIVS in *Postill. Patrum* Part. I, Quaest VIII, p. 434, 444. Secuti hos praeter alios sunt AVCTORES etiam *Synopses Starckianae*. At enim uero tamen si sententias has aliquo modo, si recte adplicentur, locum habere, atque aedificationi inferuire posse, facile largimur, aegre nihilo-

nihilominus nobis persuademus, Sospitorem benignissimum eas in mente habuisse. Non illam, quandoquidem de regno gratiae in N. T. sermo ei est, id quod ex locutione, *παρρησία τῶν ἁγίων*, planum cuilibet est, quae ad aetates atque tempora V. T. trahi nequaquam potest, nisi absurda, quae inde indiuiso nexu fluunt, admittere uelimus, ut ipse b. LUTHERVS ostendit, cuius uerba mox dabimus. Non hanc, cum ita sequeretur, ut ii, qui in infantili aetate uocantur, semper aetum portarent diu ac onus, semperque ad murmurantes atque ultimos referrentur, id quod uix probabile, nedum ueri uideretur simile. Igitur b. LUTHERVM non omnino a scopo aberrasse credimus, quando, in *Postill. Eocl.* ad h. l. de his opinionibus ferens sententiam, ita scribit, *Dis* Evangelium haben esse Väter gezogen auf die Prediger, von der Welt an bis an das Ende. Daß die erste Stunde sey Adams Zeit, die dritte Noah Zeit, die sechste Abraham, die neunte Mose, die elffte Christi und derer Aposteln. Solch Geschwätz ist gut die Zeit zu vertreiben, weil man sonst nichts zu predigen hat. Denn das will sich übel reimen, daß der Groschen soll das ewige Leben seyn, darum sich die ersten, als Adam und die ersten heiligen Patriarchen, nicht lassen begnügen, und sollen im Himmelreich solche heilige Leute murren, dazu vom Hausvater gescholten, und für die Letzten gehalten werden. Darum lassen wir solche Fabeln fahren, und bleiben bey der einfältigen Lehre, und Meinung Christi, der mit dieser Gleichniß zeigen will, wie es zugehe im Himmelreich, das ist, in der Christenheit auf Erden, daß Gott daselbst wunderbarlich richtet, und würcket, nemlich auf diese Weise, daß er aus den Ersten die Letzten, und aus den Letzten die Ersten macht. Und ist alles gesagt zu demüthigen diejenigen, so etwas sind, daß sie sich auf nichts sollen verlassen, denn auf die bloße große Güte und Barmherzigkeit. Wiederum, daß diejenigen, so nichts sind, nicht verzagen, sondern auf Gottes Güte sich auch verlassen, als wohl jene. Derohalben muß man diese Gleichniß nicht in allen Stücken ansehen, sondern auf das Hauptstück merken, was er damit wolle, nicht achten, was Pfennig oder Groschen heisse, nicht, was die erste oder letzte Stunde sey, sondern, was der Hausvater im Sinne hat und will, wie er seine Güter höher, ja alleine will geachtet haben mehr, denn alle Werck und Verdienste. Gleichwie in der Gleichniß von dem unrechten Haushalter Luc. XVI wird uns nicht die ganze Gleichniß fürgehalten, daß wir auch solten unsere Herren betrügen, sondern allein die Klugheit desselben Haushalters, daß er sich so wohl und weislich versorget, und sein Bestes erfand, wiewohl mit seines Herrn

Scha.

Schaden. Wer nun daselbst wolte lange suchen, und predigen von den Schuldthern, was das Register, Oele, Korn und Maas, bedeutet, der käme von der rechten Meinung, und folget seinem Zichten, das nirgend zu nutz wäre. *Atque in eandem ante b. LUTHERVM sententiam scripsit s. CHRYSOSTOMVS, Homil. 64, Ουδὲ χρὴ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας, δι' ἃν συνετέθη, τῶτον δέσπεσαι, καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν. Non oportet omnia, quae in parabolis sunt, secundum dictionem curiose agitare, sed scopum, propter quem composita est, doctos, hunc decernere, nec ulterius aliena tractare. Immo Dominus, non omnes parabolaes partes esse adplicandas, suo nos certiores facit exemplo, quando, Matth. XIII, 25 et 37, quinam per homines dormientes, qui per seruos, sint intelligendi, non decidit. Plura in hanc rem uide, si placet, apud GLASSIVM, in Philol. S. p. m. 489. Quibus sic se habentibus, operam quidem, diuinis auspiciis, daturi sumus omnem, ut, quae in hac parabola momenta scopo inferuiunt, atque ex contextu explicari possunt, recte enodentur, reliqua autem, quae huc non pertinent, parum morabimur. Ante omnia igitur eo, unde digressi sumus, redeundum nobis est, ad patrem, scilicet, familias, Christum, qui simul, ac prophético defungi coepisset officio, de conducendis in uineam suam operariis sollicitus maxime fuit. Vnde exiit in diebus carnis suae, αὐτοπροσώπως, ad conducendos operarios. Ac operariorum quidem nomine, quinam ueniant, tam uariant interpretum sententiae, quam quae maxime. Nimirum veterum aequae ac recentiorum nonnulli, omnes, qui ad Ecclesiam uocantur, Christianos intelligunt. Sic enim, praeter ORIGENEM, NAZIANZENVM, CHRYSOSTOMVM, AVGVSTINVM, apud CALOVIUM in Bibl. Illustr. ad h. l. et reliquos, THEOPHYLACTVS ad h. l. inquit, Hic igitur Christus exiit e sinibus paternis, et conducit operarios in uineam. Vnumquemque conducit, ut operetur uineam, h. e. suam animam. Ita et b. DIETERICVS in Analyti Euangel. ad h. l. p. m. 274, Operarii, ait, sunt omnes homines, uoce Euangelii, medio ordinario ad societatem Ecclesiae uocati. Sic et reliqui passim. Alii autem, praecuntibus, IRENAEO, HILARIO, HIERONYMO, GREGORIO M. AVCTORE Oper. imperf. cum FRANZIO in Interpr. Sacrae S. Orac. XXXVI, CASP. LOESCHERO in Scylla et Charybdi §. XIV, sqq, solos, aiunt, designari hic ministros Ecclesiae, cum reliqui Christiani per uites adumbrari rectius possint. Et negari quidem nequit, rem ita se habere, ut fideles ex parte altera uites, Es. V, 2, ex altera uero ministri Ecclesiae ἐγάτα, operarii, nuncupentur, Matth. IX, 37, 38, X, 10, 2 Tim. II, 15, atque Φυτεύειν ἀποτί-*

ποτίζω dicantur, 1 Cor. III, 6. Verum enim vero, si altius paulo
 comma capitis antecedentis 29 expendatur, cum quo v. 30 quoque, ipsa-
 que cohaeret parabola, aegre admodum nobis persuademus, solos ministros
 ἐργατῶν nomine hic intelligendos esse. Neque hinc adserere alii dubitant,
 tam ministros, quam et Christianos quoscumque hoc nomine exhiberi, hac
 tamen lege, ut doctores atque ministri speciatim intelligantur. Ad hunc
 enim modum b. CALOVIVS in *Bibl. Illustr.* ad h. l. Operarii, in-
 quit, *in vinea sunt, tum communiter omnes vocati, vel Christiani omnes, tum
 speciatim ministri Ecclesiae.* Quem inter alios sequitur etiam b. STO-
 CKIVS in *not. N. T.* ad h. l. hanc asserti sui afferens rationem, *quod omni-
 um sit operari salutem propriam, cum timore et tremore, Phil. II, 12.* No-
 stris quae sedeat animis sententia, antequam ingenue profiteamur, monemus,
 post alios, ante omnia, caute admodum et circumspecte in interpretandis pa-
 rabolis esse progrediendum, eo quod Dominus non eodem semper, et ubiuis,
 sensu uoces acceperit, ut vulgo accipiuntur, cauendumque omnino esse,
 ne parabolae, uel nimis ultra tertium, quod aiunt, comparationis exten-
 dantur, uel iusto coarctentur angustius. Rem exemplo illustratam dabi-
 mus. Per *semen* in N. T. verbum Dei intelligi, ex 1 Petr. I, 23, constat in-
 ter omnes, qua denominatione et ipse Sospitator sanctissimus usus in pa-
 rabola est, *Luc. XIX, 5*, coll. 11, sed idem eandem uocem alio usurpat
 sensu, *Matth. XIII, 24*, coll. 38, ac *semen* bonum ipsos filios regni ad-
 pellar. Bene ergo iterum b. LUTHERVS libro antea laudato, ad
Matth. XIII, 24, dicit, *Diese Gleichniß hat der Herr selbst ausgelegt
 in selbigem Capitel, durch Anregung seiner Jünger, und spricht, des
 Menschen Sohn sey, der guten Saamen säet, der Acker sey die Welt,
 der gute Saame seyen die Kinder des Reichs. - - - Aber wer
 hätte solche Auslegung mögen finden, sintemahl er hie in dieser Gleich-
 niß den Saamen heisset die Menschen, und den Acker die Welt, so er doch
 in der nächsten Gleichniß dafür den Saamen nennet das Wort Gottes,
 und den Acker die Menschen, oder Menschen Herz? Wenn ers hie nicht
 selbst hätte ausgelegt, so hätte ieder mann der vorigen Gleichniß nachgeahmet,
 und den Saamen lassen Gottes Wort seyn, und also dieses Verstands
 gefehlet. Darum lasset uns hie mercken für die Klugen und Gelehrten,
 die die Schrift handeln sollen. Das Nachahmen oder Rathen gilt in der
 Schrift nicht, sondern man soll und muß sein gewiß seyn. Quae cum ita
 sint, non omnino reprehendendi iure videntur, qui non verbi diuini mi-
 nistros tantum, sed et reliquos, in regnum gratiae, seu Ecclesiam, uocatos,
 ἐργατῶν nomine, h. l. comprehendunt. Nostra interim sententia est, per*

εργάτας, eos hic indicari Apostolos, quos omnium primos Dominus, propheticum auspiciatus officium, adeoque primo, quo sol exortus erat iustitiae, *Mal. IV, 2*, mane uocauit. Hucque praeter alios referimus *Petrum, Andream, Iacobum, et Iohannem, Matth. IV, 18, 21, Marc. IV, 14, sqq.* Nec dubium propemodum est, quin inter reliquos *Petrus* ad hanc gratiose factam uocationem respexerit, quando communi sociorum suorum nomine, *Matth. XIX, 27*, quaerit, ἰδὲ ἡμεῖς ἀφῆκαμεν πάντα καὶ ἠκολούθησάμεν σοι, τί ἄρα ἔσται ἡμῶν; indeque praematura praerogatiuae, nescio cuius, fiducia ductus, superiorem aliis, in regno Christi, dignitatem adfectorit, speciosam meriti opinionem fouerit, debitumque huius retributionem exspectarit. Id sane ex *Matth. XIX, 1, Marc. X, 35, sqq.* aliisque locis, nemini, ignotum esse potest, quanto praerogatiuae et πρωτοκλισίας, diseruati desiderio fuerint, non aliunde, quam ex impuro Iudaicarum persuasionum fonte turbidum hoc commentum haurientes, ac si mundanum futurum regnum Christi esset, cuius causa ad certamina etiam subeunda parati erant, *Io. XII, 36, Act. I, 6*. Isti igitur merito, ut et reliqui Iudaei omnes, eodem cum Apostolis uocati tempore, eundemque cum ipsis animum fouentes, cum *εργάταις* illis comparantur, quos paterfamilias primo mane suam in uineam, i. e. Ecclesiam N. T. gratiose uocauit, quae non, prout in V. T. exiguis contineri finibus debebat, angustiae populi Israelitici tantum terminis constringi, *Pf. XXC, 9, 16, Ies. V, 1, 2*, sed quam latissime, inter omnes ac singulas, quae toto terrarum orbe comprehendebantur, gentes plantanda fuerat, *Pfalm. LXXII, 8, sqq. Ies. XXV, 6, 7, Hagg. II, 8*. Enimuero obicitur, si omnes in uinea sint operarii, nullas futuras in ea uites esse, uineam autem sine uitibus aegre, vel plane non, concipi. Cui speciosae satis exceptioni ut satisfiat, notandum est, regnum coelorum h. l. non dici uineam, sed uineae tantum adsimilari, idque non quoad omnes ac singulas eius adfectiones, sed quoad operarios duntaxat, a patrefamilias ex pura pura gratia, sine ullo eorum merito, ut sua eius in uinea defungantur opera, uocatos. Neque adeo hic de uitibus, harumque cultura, sollicito cogitandum est, sed, quod scopus totius sermonis Christi suadet, de operariis in genere, eorumque operae mercedisque conditione. Cum igitur nec ultra tertium, quod aiunt, comparationis, uerba et mens Domini extendenda, nec limitibus circumscribenda angustioribus sit, *operariorum* nomine soli Ecclesiae ministri h. l. comprehendendi non possunt, sed omnes potius, quos Deus pro inexhausta sua gratia ad Ecclesiam inuitat, creatos ad bona opera, *Eph. II, 10*, ita quidem, ut operentur in ea amorem tum erga Deum, eum redamando, *1 Io. IV, 19,*

rum

tum erga proximum, eum pari, quo se ipsos, amore diligendo, *Iac. II, 8*, tum denique erga se ipsos, suam, cum metu et tremore, salutem operando, *Phil. II, 12*. Haec enim gentium Apostolus a credentibus, siue uera credentium fide, requirit, ut sit *ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης*, *Gal. V, 6*. Quae cum ita sint, per uineam h. l. non intelligimus, cum HILARIO in *Matth. Can. XX*, legis ipsius opus et obedientiam, neque cum CHRYSOSTOMO mandata Dei, neque cum THEOPHYLACTO animam, quae subiectum quidem regni coelorum est, non tamen ipsum regnum, nec denique cum AVCTORE *Oper. imperf. iustitiam et diuersas eius species*, quales sunt, castitas, patientia, longanimitas, ceteraque innumerabilia bona, sed, ut in textu est, ipsum regnum coelorum seu gratiae, in quo uocati istiusmodi uirtutes, instar *ἐργατῶν*, exercere debent. Id quod recte, praeter alios, ORIGENES perspexit, ita in h. l. scribens, *Vineam intelligimus regnum Dei, quod in Ecclesia praedicatur, et alibi idem, si oportet, inquit, de uinea dicere aliquid, accipio occasionem ab eo ipso, quod interpretatus est in alia parabola de uinea, quod uinea est regnum Dei. Sic enim ipse dixit. (Matth. scilicet XXI, 43,) auferetur a uobis regnum Dei, et dabitur genti, facienti fructum eius. Omnes ergo, qui opera uinae, opera regni Dei, et salute digna perficiunt, denarium consequuntur. Denarius uero, prout ipse Dominus testatur, erat illa gratiae merces, de qua cum operariis conuenerat. Id quod sequentem in modum exponit Euangelista,*

*Συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργατῶν - - ἀντὶ. Conueniens autem (Quae uox, ut ait BEZA ad h. l. est musicorum proprium, cum ex diuersis uocibus unum efficiunt concentum. Inde factum, ut pro consentire accipiantur, et in contradictibus faciendis communi consensu aliquid pacisci.) cum operariis, h. e. iis, qui ad Ecclesiam uocantur, quibus iridem, uti et reliquis *v. 4, sqq.* nullo ad futura eorum opera habito respectu, gratiose obtulit mercedem, ex denario diem, *ἡμέραν*, quod pro *καθ' ἡμέραν* positum. Fuisse autem, prout ex TACITI *Anal. Lib. I, Cap. XVII, et Matth. XXII, 19*, uidere est, nummum non Iudaeorum, sed Romanorum, ad quem praesenti parabola alluditur, nemini mirum uidebitur, nisi qui, Iudaeos, tempore carnis Christi Romanae iurisdictioni subiectos, eorumque adeo moneta etiam usos fuisse, ignorat. Quemadmodum uero huius numi apud diuinos scriptores frequens in N. T. est usus, ut ex *Matth. XII, 28, XXII, 19, Luc. VII, 41, X, 35*, ceterisque, planum est, ita, quod de eius ualore eruditus intercedit sententiarum diuortium, examini subiicere, instituti nostri ratio prohibet. Id saltem monuisse sufficiat, fuisse denarium, secundum TACITUM supra citatum, (tres circiter grossos, si nostrae monetae ha-*

beatur ratio; exaequantem, vid. AVCTORES a b. STÖCKIO in
 Not. N. T. ad *Matth. XIX, 28*, allegati) stipendium militis diurnum,
 num uero et operariorum fuerit merces diurna, ut nonnulli uolunt,
 id non aequè constat. Missis hinc, quae tum nudis nituntur con-
 iecturis, tum parum ad rem nostram conferunt, alius paulisper prou-
 ehenda mentis cogitata sunt, ipsumque illud, quod imagine denarii adum-
 brare Sospiator uoluit, paulo diligentius inuestigandum. Quae res, quan-
 topere nullo non tempore torferit eruditos, uel ex iis, quae dicturi sumus,
 perfacile erit intellectu. Nonnullis enim, a) referente b. CALOUIO,
 in *Bibl. Illustr.* ad h. l. ornatus causa denarius commemorari uidetur. Ideo-
 que non esse, ut indagemus, quid per denarium mystice intelligatur, monuit
 IACOBVS de VORAGINE. Sed rectè a CALOUIO nostro, laudato
 loco, repositum ei est, *sive denarius dicatur, sive alio quouis nomine ueniat,*
mercedem tamen aliquam notari in ἀνταπόδοσι. Nec desunt, β) secundo lo-
 co, inter ueteres, qui uitam aeternam per ἀνάπινω intelligunt. Quae sententia,
 quo optior ad palliandam hypothefin, quae, uitam aeternam operum
 meritis consequi homines, docet, uisa est, eo libentius et ambabus,
 quod aiunt, manibus apprehensa a Pontificiis fuit. Cui etiam quandam
 auctoritatis speciem conciliaturus Maldonatus persuadere orbi Christiano
 ausus est, eam omnibus Patribus, solo BASILIO, qui aliquod huius ui-
 tae praemium intelligit, excepto, communem esse. Sed quantopere, tum
 sibi, tum aliis imposuerit, multis documentis ostendit b. DORSCHAEVS
Dissert. de denario uespert. §. 8. Negari attamen non potest, TERTVL-
 LIANVM, lib. de *Monogamia*, ipsumque AVGVSTINVM, lib. de
S. Virgine it. *Serm. LIX, de uerbo Domini*, et alibi, pluresque alios, pro
 uita aeterna pugnassee. Parum autem proficeret, qui, grauioribus destitu-
 tus argumentis, debili in causa, horum se tueri auctoritate uellet. Quis
 enim sibi persuadeat, eum, qui uitam aeternam consecutus actu est,
 murmurare posse? quod tamen ab iis, qui denarium acceperunt, factum
 fuisse ipse Sospiator docet, v. 11. Id quod haud dubie uidit s. CHRYS-
 SOSTOMVS, in h. l. quocirca *Homil. XXXIV*, non ipsam uitam aeter-
 nam, sed, quae tertia est sententia, γ) eius promissionem a Domino, *Matth.*
XIX, 29, ex gratia factam, denotari denario, statuit. Consentientem sibi
 habet AMBROSIVM, uel quisquis Auctor libri de *Vocatione gentium* fuit,
Lib. I, c. V, et Epist. I, lib. I, nec non GREGORIVM M. *Homil. XIX*, qui,
 aequalem uitae aeternae retributionem, ui promissionis et gratiae signifi-
 cari, aiunt. Diuersam his, δ) uiam ingressi sunt IRENAEVS et HIE-
 RONYMVS, ille *Lib. IV, adu. Haeret.* hic, *Comment. ad h. l.* docuerunt-
 que

que, imaginem Dei, eiusque agnitionem, denario exprimi. Alii, ε) cum HILARIO *Can. XX* in *Matth.* obedientiae praemium, alii, 5) cum THEOPHYLACTO, ad h. l. Spiritus S. gratiam, alii, ζ) cum BASILIO M. in *Quaest.* quaest. 256, centuplicia illa dona gratiae, singulis in regno gratiae collata, alii, η) cum LYSERO in *Harm.* BALDVINO in *Hypomn.* MEISNERO, BACKIO, in h. l. p. 433, TRILLERO *lib. supra cit. p. 95*, Christum indicari credunt. Ad quod postremum excipit CALOVIVS l. c. *Christum non dari operantibus, vel pro operibus in vinea praestitis.* Conferenda tamen sunt, quae BACKIVS ad exceptionem hanc diluendam, l. c. adfert. Nec praetereundae hoc loco sunt θ), PHILIPPI MELANCHTHONIS et CALOVII, non incelebres sententiae, quorum ille idea denarii comprehendere vult *omnia beneficia, quae Deus dat, ad conseruationem Ecclesiae, et doctrinae propagationem*, hic, *generaliter retributionem insinuari*, ait, *sive corporalis ea sit sive spiritualis.* Cum quo etiam D. SPENERVS et GLOSSATORES *Bibliorum Ernestinorum* facere videntur, nisi quod denarium ad sola corporis bona, gloriam, dignitatem, diuitias, statum familiae florentissimum, etc. restringant. vid. *Heßisches Heb. Opffer anni 1738, Part. 18, p. 747*, sed neutra locum habere videtur opinio. Non illa, quia Dominus, non de beneficiis ad conseruationem Ecclesiae necessariis, sed de mercede, unicuique indiuiduo in Ecclesia impertienda, agit, non haec, quia retributio corporalis et spiritualis, non omnibus est eadem, *Rom. XII, 3, sqq. 1 Cor. XII, 12*, denarius uero idem datur omnibus. Ad contextum igitur, in hoc rerum discrimine, confugiamus, oportet, quippe qui, quid per *δνείγιον* sit intelligendum, v. 29 cap. XIX, nos docet euidentissime. *Centuplicia nimirum illa bona, et uitae aeternae promissio ex gratia facta, sunt ille denarius, qui cum primis Petro et reliquis Apostolis, itemque Iudaeis, innumeris fere uicibus fuit promissus, e.g. Io. III, 15, 16, V, 24, VI, 40, 47, 54, X, 28, et quoad hanc uitam in agnitione Dei Patris et Iesu Christi consistit, Io. XVII, 3.* Quo interim denario cum *Petrus* et commilitones eius plus sibi promitterent, Iudaeorum uero eum plerique spernerent inuidi, *Act. XIII, 45, 46*, operibusque suis, cum iuvene, *Matth. XIX, 16*, quaerent, *Rom. IX, 32*, maiusque quiddam prae gentibus sibi pollicerentur, admoniti simul illi sunt, ut cauerent sibi, ne cum his in murmurantium, v. 12, et ultimum numerum, v. 16, sua culpa referantur. Qui, quia *ἐμὰ δεσπότην*, denarium ex gratia promittenti, morem ad tempus gesserunt, missi ab eo sunt in vineam, i. e. in Ecclesiam fuerunt recepti, eius ut membra, non putida, sed uiua essent, palmitesque frugiferi in uite Christo Iesu, *Io. XV, 5.*

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

- I Benignitatem et *Φιλανθρωπίαν* Dei nostri Saluatoris, qui non, ob opera iustitiae tuae, te suam in Ecclesiam, ut saluus fias, uocauit, sed ex mera gratia et misericordia, *Eph. II, 7, sqq. Tit. III, 4, 5*, pia mente aestima, utque dignum sis corporis Christi, quod est Ecclesia, membrum, *1 Cor. XII, 27, Ephes. V, 23, 27, 30*, bonusque, et, qui fructus ferat in patientia, in uite palmes, *Luc. XIX, 15, Jo. XV, 5*, digne ambula Domino, *Eph. IV, 1, Phil. IV, 8, Col. I, 10, III, 1, 2*.
- II Verus ille et bonus paterfamilias, qui salutem hominum inde a mane usque ad uesperam curat, Deus est, *Pf. CIII, 3, 4, 13, Rom. X, 21, Eph. III, 15, 1 Petr. V, 7*. Hic gratiose homines ad suam uocat Ecclesiam, modo ipsi obtemperarent, *Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46, 1 Tim. II, 4*.
- III Quemadmodum a mane, i. e. a prima infantia, te, ad uineam suam uocatum, per baptismum, uiti Christo Iesu, inseruit Deus, *1 Cor. XII, 13, Gal. III, 27*, membrumque Christi fecit, uid. *Προσοικ. I*, ita ad seram usque uitae tuae uesperam te sustentat, *Ies. XLVI, 4*. Esto igitur ad finem usque fidelis, *Matth. X, 22, Apoc. II, 10*.
- IV Discant patresfamilias, discant operarii, mane esse surgendum atque laborandum, *Pf. CIV, 22, 23, Eccles. XI, 6*, discant et Musae, auroram eis esse amicam, nihil attamen prodesse, *Pf. CXXVII, 2*, nisi Dominum, mane imploratum, secum habeant, *Pf. V, 4, LXXXIIX, 14*.
- V Gratis quidem et sine operibus, ad uineam Domini uocamur, sed non sine operibus, ac desides, in ea uersari debemus, cum ad bona opera, et bonos fidei fructus edendos, simus conditi, *Luc. VIII, 15, Gal. V, 6, Eph. II, 10, Coloss. I, 10*.
- VI Egregiam equidem, et omnes mundi huius thesauros superantem mercedem, uitam scilicet aeternam, Deus credentibus promittit, sed ex mera id facit gratia, non operum nostrorum dignitate seu merito impulsus, *Tit. III, 4, 5, Luc. XVII, 10*, neque ob propriam nostram iustitiam, quae impura est, *Ies. LXIV, 6*, conf. *Προσοικ. I*.
- VII Hodie etiam in uineam suam operarios uocat et mittit Dominus, quando, uoce Euangelii, Ecclesiae membra, ut salutem operentur, colligit, *Phil. II, 12*, fidemque per charitatem efficacem esse uult, *Gal. V, 6*, conf. *Προσοικ. I*.

VER-

VERSUS 3 — 5

3 Καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν, Deinde, egressus circa tertiam ho-
 εἶδεν ἄλλους ἐσώτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούσ, ram, vidit alios stantes in foro otio-
 4 κακίνοις εἶπεν· Ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς sos, quibus itidem dixit. Abite et
 εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὁ ἐὼν ἡ δίκαιον, uos in vineam, et, quod fuerit in-
 5 δώσω ὑμῖν· Οἱ δὲ ἀπήλθον· Πάλιν stum, dabo uobis. Hi ergo abierunt.
 ἐξελθὼν περὶ ἕκτην καὶ ἑνάτην ὥραν Porro egressus circa sextam et no-
 ἐποίησεν ὡσαύτως. nam horam fecit similiter.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἐξελθὼν — ἀργούσ. Deinde, uid. *Vindiciae N. T.* supra laudatae, p. 165, egressus est Paterfamilias, circa tertiam horam, quae Iudaeorum more est accipienda. Nimirum non aequinoctiales, quibus hodie utimur, sed inaequales, quae a solis ortu, incipiendo, ad eius occasum numerabantur, et, quod pro ratione καιροῦ uariarent, καιρικὰ dicebantur, in V. pariter ac N. T. horae sunt intelligendae, conf. *Io. XI, 9*. Quae et apud alias, extra Iudaeam gentes fuerunt in usu, ita ut duodecim partes diei, duodecim nocti tribuerentur, quae in sphaera obliqua, extra aequinoctium, semper inaequales erant, longae scilicet, si longa, breues, si breuis dies esset. Ceterum quatuor diei horae, 1, 3, 6, et 9, aequali a se mutuo spatio distantes, seruiabant loco quatuor partium principalium diei, in quas opera negotiaque diurna, tum sacra tum profana diuidebantur. Conferantur *Autiores*, de distributione diei Iudaica in quatuor quadrantes, laudati a WOLFFIO in *Cur. Philol.* ad h. l. Eundem apud Romanos aliquando obtinuisse morem, restis est, tum e ueteribus, PLINIUS, *H. N. Lib. VII, Cap. LX*, tum ex recentioribus, CENSORINUS, *de Die Nat. Cap. X*. Circa tertiam igitur horam, ut iam ad institutum nostrum redeamus, egressus paterfamilias vidit alios in foro stantes otiosos. Quae uerba equidem difficultate carent omni, quid autem Christus indicare iisdem uoluerit? quaestio quae interpretibus sacris moueri solet, examinanda primo loco est. Qui cum horarum notionibus, mundi aetates connectunt, illam, quae a Noa usque ad Abrahamum est, mundi periodum intelligi, aiunt, qui uero distinctas cuiusuis hominis aetates, adolescentiam hic in censum uenire statuunt, denique, qui, cum TRILLERO, *l. c. p. 95*, per mane *Mosis* aetatem intellectam uolunt, illud, credunt, designari tempus, quo Deus gentem Israëliticam, a se resilientem, per Prophetas denuo collegerit, uid. p. 96. Sed cum haec parabola, id quod supra iam monuimus, Noui, non

non Veteris Testamenti Ecclesiam concernat, utpote cui unice honorifica, τῆς βασιλείας τῶν ἑραῶν, denominatio a Θεοπνεύσοις uindictatur, has nos opiniones in textus applicationes quidem, neutriquam uero explicationes, optimo iure referimus. Atque adeo per *horam tertiam*, rectius quandam N.T. periodum intelligimus, tamen, quatenus ea sit, uix cuiquam determinare certo liceat. Si quid uero dandum sit coniecturis, illud assumi tempus potest, quo Samaritani illi, quorum *Ioh. IV, 39*, mentio iniicitur, uocati fuere. Id quod, siue statuas, siue neges, nihil quidquam adferet incommodi. Ad *alteram* potius quaestionem ut nos conferamus, par est. Quae nempè solet, quinam *ἀλλων*, aliorum nomine, in textu uenire possint? Quod momentum totidem solui modis solet, quot receptae sunt ad priorem quaestionem sententiae. Qui enim *mundi aetates* propugnant, *Noachum* eiusque posteros, usque ad *Abrahamum*, qui hominis aetatibus oblectantur, *adolescentes*, denique, qui TRILLERI additi sunt sententiae, *Iudaeos* intelligunt. Verumenimvero, quam infirmo omnes hae opiniones nitantur talo, uel ex iis, quae ad quaestionem antecedentem monuimus, res in aprico est. Nos contra statuimus, *Iudaeos* N.T. et cum primis alii referunt septuaginta discipulos, aliosque, v. g. Samaritanos et gentiles, prioribus iis, qui *mane* inuitati fuerant, serius uocatis, indigitari. Deinde *tertio loco*, quid de foro sit statuendum, quaeri solet. Vbi quidem ORIGENEM si audiamus ad h. l. placet ei locus, qui *extra uineam est, ubi stant otiosi, i. e. extra Ecclesiam Christi, extra uerbum ueritatis, unde sermo dominicus accipit eos, qui uocantur a Christo, et mittit in uineam, i. e. Ecclesiam*. Hunc autem extra Ecclesiam Christi locum, alium, nisi mundum, esse nullum, ut CHRYSOSTOMVS ad h. l. *Homil. 34*, uel *seculum huius mundi*, ut HILARIUS in *Matth. Can. XX*, habet, per se satis liquet. Mundus enim ille nobis locus est, qui uerae Ecclesiae opponitur, uid. *Ioh. XV, 19, XVII, 14*. Hoc ergo ex loco, ex hoc incredulitatis uitiorumque foro, *Ioh. II, 15, 16*, quibus ingrediendum in uineam Christi est, uocari debent. Vnde etiam *ultimo*, quinam sint otiosi, et cur ita uocentur, perspicui facile potest. Sunt scilicet partim gentiles, siue ἀπηλλοτριγημένοι illi τῆς πολιτείας τῆ Ἰσραήλ, *Eph. II, 12, 13*, partim Iudaei increduli, qui, fide eiusdemque fructibus destituti, uti nihil quicquam boni Deoque accepti, *Ebr. XI, 6*, operabantur, ita desides, in uoluptatibus suffocati, atque huius mundi illecebris constricti, immo peccatis uiuentes, mortui erant, *Eph. II, 1, sqq.* His ergo ipsis etiam dixit, *Μὴ ἀπέχεσθε ἀπὸ τοῦ ἀμπελώνα, ἐπεὶ δὲ ἀπῆλθον. Abite sine mora et ulla deliberatione, etiam uos in uineam, non eo, ut ignauia torpeatis,*

tis, animo, sed ut opera fidei et iustitiae in Dei gloriam, ac proximi uestramque utilitatem operemini. Scitote enim, recte inquit AVCTOR Oper. Imperf. ad h. l. quod mercenarii sumus conducti. Si ergo mercenarii sumus, cognoscere debemus, quae sunt opera nostra. Mercenarius enim sine opere esse non potest. Opera autem nostra sunt opera iustitiae, non, ut agros nostros colamus et vineas, non, ut diuitias acquiramus et congregemus honores, sed, ut proximis profimus. Et quamuis haec sine peccato facere possimus, tamen non sunt opera nostra, sed diaria nostra. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium, ut hoc solum faciat, quod manducet, sic et nos non ideo uocati sumus a Christo, ut haec sola operemur, quae ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei, etc. uid. b. DIETERICVS l. c. 248. b. Etsi uero hac ratione ad praestanda bona opera obligamur, Eph. II, 10, non tamen iisdem denarium, quem non ex debito, pro operibus, sed ex gratuita promissionis beneficio largitur Dominus, meremur, Luc. XVII, 10, Eph. II, 9, Tit. III, 5. Vide, quae infra ad v. 9, et 10, dicentur. Ex gratia enim Dominus promittit, quod iustum erit dabo uobis, promittendo igitur ex gratia, non autem officio iureque quodam obligatus, debitorem se fecit Deus. Nam gratia, ut scribit AVGVSTINVS lib. de fide et operibus c. 14, praecessit meritum tuum. Non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam, si gratia ex merito, emisisti, non gratis accepisti. Quapropter o homo, monet idem grauiter Epist. 105, ad Sixt. si accepturus es uitam aeternam, iustitiae quidem, (promisit enim, quod iustum est, dabo) stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur. Nunc uero de plenitudine eius accepimus non solum gratiam, qua nunc iuste in laboribus usque in finem uiuimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, ut in requie postea sine fine uiuamus. Hoc nihil subleuius fides credit, quia nihil uerius intellectus inuenit. De gratia ergo Domini certiores facti operarii, in uineam, promissioni eius atque iustitiae fidem habentes, eademque, posthabitis operibus, unice innixi, abierunt.

Πάλιν ἐξελθὼν περὶ ἑκτην -- ἀσάυτως. Rursus, de nouo, ex ingenti sua inestimabilique erga genus humanum misericordia, egressus Paterfamilias, circa sextam et nonam horam, fecit similiter, conductos nimirum otiosos, postquam mercedem iis gratiae promiserat, suam ablegans in uineam. Quae utur iis, quae antecedentibus edisseruimus, illustrata iam iam uideantur, tamen, ad horam sextam et nonam quod attinet, silentio praeterire nolumus, eos, qui aetates mundi intellectas hic uolunt, sextam horam, ad illud, quod ab Abrahamo usque ad Moysen, uel, ut alii malunt, ab Abrahamo usque ad Dauidem durauit, tempus referre, quemadmodum et nonam ad illud spatium tem-

C

tem-

temporis exigunt, quod a *Mose* aut *Dauide*, uel usque ad aduentum Christi, uel, quod *FVLGENTIVS* mauult, a *Dauide* usque ad captiuitatem Babylonicam, uel denique, ut *HIERONYMO* placet, a *Mose* ad *Prophetas* usque effluxit. Qui uero *actates* cuiuslibet sigillatim hominis tuentur, *sextae* iuuentutem, *nonae* autem uirilem attribuant statum, Paulo aliter *CL. TRILLERVS*, l. c. p. 106, sententiam instruit, quando utramque horam et coniungit, et tempora Prophetarum designari auctor est. Qua in sententia, si hoc solum, quod horas non coniungant, discrimen excipias, etiam sunt *CEL. AVCTORES Synopsos Starckianae*, quando ad h. l. locum ita, Durch die unterschiedene Stunden, inquam, kan man verstehen das unterschiedliche Alter der Zeit vor dem Gesetze, unter dem Gesetze und unter dem Evangelio, item das unterschiedliche Alter der Menschen, die Jugend, die mannbaren Jahre, und das hohe Alter. Vornehmlich gehet es wohl auf die Jüden, welche vor den Heyden waren beruffen worden, und den Heyden ihre Seeligkeit misgönneten. Wie nun die Zeit des N. T. da die Heyden beruffen worden, der Abend genannt wird, so kan man alle die Stunden vor Abend ins Alte Testament setzen, von der Zeit an, da Gott ein besonderes Volk beruffen bis auf Christum, und wäre also die erste Stunde die Zeit, da Abraham beruffen worden, (Atqui sic mentem, sui ipsorum obliti, mutant. Supra enim ad v. 1 docebant, tempus esse, gleich nach der Schöpfung, und in Ansehung eines jeden Menschen gleich von Kindheit auf.) die dritte Stunde, da Gott die Kinder Israhel durch Mosen beruffen, (Supra ad v. 3 uocationem Abrahami, et ab eo plantatam Ecclesiam intelligebant) die sechste Stunde, da Gott um den Mittag der Jüdischen Pollicey zu Davids Zeiten, durch gute Einrichtung des Gottesdienstes, sie aufs neue beruffen, die neunte Stunde, da sie Gott durch eine grosse Menge Propheten, vor und nach der Babylonischen Gefängniß, mit sonderbahrem Ernst beruffen hat. Ex nostra uero, quam, nisi fallimur, supra iam euicimus, sententia non possunt, nisi certae N. T. periodi, intelligi, quibus scilicet diuersos et diuersimode Patrifamilias suam uocauit in uineam, tamesi, quaeuam praecise illae sint, aut quousque quaelibet earum sigillatim durauerit, tacente Scriptura, determinare nobis non liceat.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

I Vti serio electi populi sui, *Exod. XIX, 5, 6*, salutem uocauit Dominus, adeo; ut non semel iterumque, sed pluribus egressus uicibus, in suam eum uocauerit uineam, *Matth. XXII, 4, XXIII, 37, Rom. X, 21*, ita, pec-

peccator, eundem te quoque per omnes ac singulas uitae tuae aetates, ut in gratiam cum eo redeas, 2 *Cor. V, 20*, 1 *Tim. II, 4*, sisque dignum Ecclesiae membrum, serio uocat. Hodie ergo, cum uocem eius audieris, noli indurare cor tuum, *Ierem. III, 12*, sq. *Ebr. III, 7, 8*. Conf. ad vers. antec. προσοικ. I, II, III.

II Caue, mi Christiane, ne in otiosorum, utpote qui aridi sunt palmites, *Iob. XV, 2, 6*, sterilesque in bonis fidei operibus, qui mundo, et, quae in mundo sunt, illecebris adhaerescunt, 1 *Iob. II, 15, 16*, classem merito tuo referaris. Conf. ad vers. antec. προσοικ. V.

III O quam remissa, in curanda sua salute, maxima hominum pars est, quam tamen uera fide operari debebat! *Phil. II, 12*. O quam turpiter plurimi mortalium, qui ad bona alias opera conditi sunt, *Eph. II, 10*, spirituali otio securi indulgent! *Eph. V, 14*.

IV Otio, uitiorum illi magistro, et egestatis certissimo auctori, caue, indulgeas, *Prou. XXVIII, 19*. Recordare Paulini effati, 2 *Theff. III, 10 - - 12*.

V Vis esse in Domini uinea, ouis naturam indue, i. e. Domini, te uocantis, uocem audi, eumque, quocunque te duxerit, sequere. *Pf. XXIII, 1*, sqq. *Iob. X, 27*.

VI Vti bonus et misericors solus Deus est, qui solus cuncta, quae bona sunt, largitur, *Pf. CXLV, 8*, *Matth. XIX, 17*, *Iac. I, 17*, ita idem solus quoque iustus est, qui, quae iusta sunt, dat, et, quae promittit, seruat. Noli ergo uel eius misericordia et bonitate abuti, uel eius iustitiam contemnere, sed confide eius promissis.

VII Deus cum te uocauerit, desere mundum, desere tuos, desere patriam, desere delicias, desere omnia, memor eius, quod in Deo omnia habees, *Gen XII, 1*, sqq. *Pfalm. LXXIII, 26*, *Matth. VI, 33*, *Phil. III, 8*, *Io. II, 15 - 17*.

VERSUS 6 ET 7

6 Περι δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν ἐξελθὼν εὔρεν ἄλλους ἐστῶτας ἀργούς· καὶ λέγει αὐτοῖς· Τί ὧδε ἐσθῆκατε τὴν ἡμέραν ἀργοί;

7 γοί; λέγουσιν αὐτῷ· Ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμικτάσατο. λέγει αὐτοῖς· Ἰπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὁ ἐμὴν ἢ δίκαιον, λήψετε.

Circa undecimam uero horam egres-
sus inuenit alios stantes otiosos, et di-
cit ipsis. Quid hic stetistis diem otio-
si? Dicunt ipsis. Quoniam nemo nos
conduxit. Dicit ipsis. Abite et uos
in uineam, et, quodcunque erit iustum,
accipietis.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Περί δὲ τὴν ἕνδεκάτην ὥραν — ἀργοί. Circa undecimam autem horam, quae apud Iudaeos ultima ac vesperae erat proxima, egressus Dominus, non sui, sed eorum causa, quorum uocatione auctus Ecclesiae suae promouere uoluit, inuenit alios stantes otiosos, et dicit ipsis, i. e. quibus dicit, uid. *Vindiciae* supra laudatae, p. 238, Quid, cur, hic in foro, de quo in uersu 3, ubi cultus diuinus nullus, steteris diem, per totam diem, otiosi? En grandem hominum ignauiam ac negligentiam! qua nullam, per totum diem, felicitatis suae curam habuerunt, ut, nisi sua eos praeueniens gratia Dominus quaesiuisset, idque hora iam ultima, totum in otio diem consumsissent. Sed, quinam illi otiosi, quae hora ultima, paucis uideamus. Nihil uero hic moramur eos, qui, diuersas ex hac parabola aetates hominis excusipientes, per horam undecimam senilem indigitari aetatem, aiunt, otiososque ipsos esse senes, suorum sub dierum uesperam uocatos, adseuerant. Nec eorum amplectimur placita, qui, aetates mundi statuendo, tempora N. T. ab aduentu Christi, usque ad consummationem seculi, persuadere nobis contendunt, quibus plerisque otiosi sunt gentiles, a Domino gratiose uocati. Et cum his, praeter AVCTORES *Synops. Starck.* et reliquos tantum non omnes, facit Cl. TRILLERVS, quando, l. c. p. 106, speciaim intelligit die Zöllner, Sünder, und Krieges-Knechte, die in der Gemeine Gottes von den Juden nicht geduldet worden, und daher wenig Unterricht von Gottes Wort hatten und bekamen, oder auch nicht groß verlangten, diese wurden durch die Predigt Johannis des Täuffers auch beruffen, und durch seine Predigt bewogen, daß sie sich tauffen ließen, und sich belehren. Denn Johannis Predigten waren dieses Inhalts: Belehret euch, und lasset euch tauffen, denn das Königreich Gottes ist nahe herbey kommen. Enimvero per undecimam horam, ultimum Domini in his terris uersantis tempus adumbrari, facile concedet is, qui rem paulo curatius expendit. Hoc enim esse illud ipsum tempus uiderit, quo post resurrectionem suam gloriosam, per Apostolos aliosque discipulos, otiosos, i. e. gentiles, in gremium Ecclesiae uocari praecepit, *Marc. XVI, 15, 16, collatis Actis Apostolicis et Epist. Paul.* Conferantur ea quoque, quae ad uersus anteced. de otiosis annotata a nobis sunt. Hi igitur otiosi, siue gentiles, Domino, negligentiam eorum torporemque redarguenti, in sui excusationem respondent,

Οτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμὴν ὠσατο -- λήψεθε. Quia nemo nos conduxit, i. e. licet hic per totum diem steterimus, et, qui nos conduceret, aliquem exspe-

stauc-

Etauerimus, nemo tamen, qui hoc fecisset, uisus a nobis est. Id quod illud ipsum est, quod *CHRYCOSTOMVS Homil. 34* in h. l. tradit, *Nemo nos, inquiring, docuit, quod haec sit uita aeterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, et, quem misisti, Iesum Christum. Nemo nos conduxit, dicens, quicunque reliquerit domum, aut uillam, aut patrem, aut matrem, centuplum accipiet in hoc mundo, et in futuro uitam aeternam possidebit. Et nota, quod illi, qui aut in prima hora uocati sunt, aut in tertia, aut sexta, aut nona, non responderunt, quia nemo nos conduxit. Omnes enim illi qui conducti fuerunt, et habuerunt notitiam Dei, et scierunt promissa Dei, gentes autem solae, nec Deum sciebant, nec Dei promissa, ideoque excusabiliter respondent, nemo nos conduxit. Quamuis uero excusationem eorum facili euertere opera Paterfamilias potuisset, eosdemque conuincere, quod, si felices esse uoluissent, non stare, *ἑστῆναι*, sed *ἀγωνίζεσθαι* eos oportuisset, *Luc. XIII, 24*, tantum tamen abest, ut in ruborem eos benignissimus ille *Φιλάνθρωπος* dederit, ut potius, iubendo eos, quo uocationi suae obtemperarent, dixerit illis. *Abite*, hac ultima diei hora, *etiam uos in uineam, et, quodcunque erit iustum*, non, quod merebimini uestra opera, sed, quod pro mea uobis iustitia, gratia, ac benignitate decernam, *accipietis*, idque uel promissionis meae, si modo credideritis, quam certissime. Quod salutare coelestis Patrisfamilias mandatum simul ac audiuerunt, extemplo, ut ex *v. 9* constat, morem ei gerentes, promissisque eius credentes, abiuerunt.*

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Disce, Deum, nullo inter homines discrimine habito, omnium uelle salutem, *1 Tim. II, 4, IV, 10*, ita ut, quicumque eius uocationi obtemperat, non gratus solum ei acceptusque sit, *Act. X, 34, 35*, sed spiritualibus etiam, quae parta per Christum sunt, beneficiis ab eodem ornetur, *Eph. 1, 3, sqq.*
- II Humanæ, post lapsum, naturæ indoles comparata ita est, ut commissos a se errores delictaque colorare, contra uero, culpam in ipsum Deum, si fieri posset, transferre non dubiter, *Gen. III, 12, 13, 1 Sam. XV, 20, 21, Luc. XIV, 18*. Melius attamen sibi consulunt, qui crimina sua et agnoscent, et Domino profitentur, et ueniam eorum remissionemque petunt, *Psal. XXXII, 5, LI, 3, sqq.*
- III Admiranda eo nomine Dei clementia et longanimitas est, quod nec meminisse peccatorum, nec delinquentes in ruborem dare, uelit, si modo gratiam cum eo ineant, in eaque perseuerent, *Ezech. XXXIII, 12, sqq. Mich. VII, 18, sqq.*

- IV Serio equidem tuam Deus uult salutem, secundum *πρσοικ. I*, eius tamen uocationem gratiaeque tempus, caue, negligas, ne culpa negligentiae in te ipsum redundet, *Ies. V, 4, Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46. 2 Cor. VI, 1, Ebr. III, 7, 8,*
- V Summam Dei longanimitatem, quae peccatores seros usque eorum in annos fert, et ad poenitentiam inuitat, quis non admiretur? quis non demisso ueneretur animo? quis non laudibus praedicet perpetuis? *Rom. II, 4, X, 21.* Reliqua, quae dici hic possent, uid. in *πρσοικ.* ad vers. anteced.

VERSUS 8 ET 9

- 8 Ὁψίας δὲ γενομένης λέγει ὁ κύριος τῷ ἀμπελιῶν τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ. Καλεσον τὸς ἐργάτας, καὶ οἰκῶδος αὐτοῖς τὸν μισθὸν ἀρχαίμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων.
- 9 Καὶ ἔλθόντες οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν ἔλαβον ἀναὰ δηνάριον.
- Vespere autem facto dicit Dominus uineae procuratori suo. Voca operarios, et da ipsis mercedem, incipiens ab ultimis usque ad primos. Venientes igitur circa undecimam horam uocati acceperunt singuli denarium.*

Ε Η Η Γ Η Σ Ι C

Ὁψίας δὲ γενομένης — αὐτοῦ. *Vespere autem facto*, qui labori finem imponit, eiusdemque onere mercenarios liberat, *Iob. VII, 2, dicit Dominus idem*, qui *ὀμοδοσπότης* adpellatus ante fuit, *procuratori suo*, cui commissa domesticarum rerum cura fuit. Quae quidem *ἐπιτροπῆς*, ac, cuius paulo ante mentio facta fuit, uesperae, *ὀψίας*, notio in se spectata, omnibus est notissima, at, quid utraque intendere h. l. sospicator optimus uoluerit, perspectum non omnibus aequè fuit. Quemadmodum enim plerique, post *ORIGENEM*, per *δψίαν, uesperam*, ultimum iudicium, seu consummationem seculi, ita alii, ultimam mortis horam, alii autem tempus gratiae N. T. intelligendum esse, auctores sunt. Vid. b. DIETERICI *Analyf. Euang. p. 286, ΒΑΚΚΙΙ* *Exposit. Euangel. p. 449, AVCTORES Synops. Starck* ad h. l. Rebus autem paulo altius expensis, autumamus non immerito, *uesperae* uel non alio fine fieri mentionem, nisi quatenus ad integritatem parabolaë pertinebat, uel, si ad scopum quicquam facit, ultimum illud fuisse tempus, uidetur, quo sol iustitiae, *Mal. IV, 2*, quo Lumen illud mundi, *Io. I, 9, XII, 35*, uisibili lucere modo desit. Hac enim discedente Luce, uespera facta fuit, durans ad illud usque tempus, quo *ὀμοδοσπότης ἐπιτροπον*, qui mercedem operariis distribuere, misit, ut, hac distributione facta, luceque Euangelii de integro quasi illucescente,

te, discederet denuo. At quis sit ille *ἐπίτροπος*, (De cuius uocis natalibus, uario significato, et, quae sunt reliqua, uid. Cel. KISLINGII *Dissert. de Procuratore in uinea Domini.*) quem hic Solpicator benignissimus adumbravit, uideamus. ORIGENES equidem per *ἐπίτροπον* Angelum quendam, qui *super mercedes retribuendas sit positus*, accipiendum esse, suafor est, adeoque hypothesin assumit, cui patrocinari, litteris sacris imbutus, nemo potest, cum illa et *ἀγαθος*, immo et *ἀντίγραφος* ex parte sit. Deum enim futurum orbem, i. e. tempora N. T. Angelis non subiecisse, testis est Apostolus, *Ebr. II, 5.* Nec aliter de TRILLERI sententia, qua intellectum uult *Iohannem* Baptistam, l. c. p. 97, iudicium ferendum est. Etenim non uidetur credibile, ad illum praecursorem sui, qui truncatus eo tum iam capite fuerat, et ad quem nec, quae antecedunt, nec quae consequuntur, in textu, referri possunt, Dominum hac parabola respexisse. Quomodo enim ille mane uocatis, qui, eius ex hypothesi, coaeui Mosi sunt, quomodo reliquis, Dauidi ac Prophetis coaeuis, immo ipsis Prophetis ac sanctis, distribuere denarium poterat? Vt alia, quae hinc consequuntur, *ἀροπα*, breuitatis gratia, taceamus. conf. b. 10. EHRENFRIED PFEIFFERI *Obséruat. ad cit. TRILLERI scriptum, p. 69, sqq.* Propius aliquanto ad ueritatem accedunt, qui, cum NICOLAO de LYRA, per *ἐπίτροπον* Christum indigitari, statuunt, sic enim is in *Exposit. h. l.* quae extat in *Bibliis cum Glossa ordin. P. V. edit. Basil. 1495.* Dicit Dominus *uineae*, inquit, i. e. *Deus Pater procuratori suo. i. e. homini Christo, qui missus est ad procuracionem salutis humanae.* Enimuero, cum supra iam, ad v. 7, ostendimus, *ὁμοδοσπότην* potius Christum in regno gratiae audire, neque hanc probare sententiam possumus. Rem itaque omnium accuratissime tetigisse uidentur, IRENAEVS *lib. IV, adu. Haeres. Cap. LXX.* et AVCTOR *Oper. Imperf. in h. l. Homil. 34.* qui nomen *ἐπιτρόπος* Spiritui S. deferunt. Hic enim est, quem Dominus sub uisibilis suae conuersationis uesperam, ut centuplicia illa, quae, *Matth. XIX, 29.* pollicitus erat, dona distribueret, promiserat, *Iob. XIV, 16, sqq. XVI, 13, 14. Act. I, 8.* Hic est ille, quem Dominus aduocauit, dictus inde *παράκλητος*, et in mundum misit, *Io. XIV, 16, XV, 26, XVI, 7.* Hic est ille, cui dixit Dominus.

Κάλεσον τοὺς ἰργάτας - - ἕως τῶν πρώτων. Voca omnes ac singulos, quorum in antecedentibus mentio facta est, *operarios* (Quae quidem, et quae sequuntur, *ἀνθρώποπαθῶς*, prout ad integritatem parabola spectant, dicta sunt.) et *da ipsis*, post exantlatos labores, ut Deus praecepit ipse, *Leu. XIX, 13, Deut. XXIV, 14, 15, mercedem, quam ex gratia eis pro-*

promissi, dona uidelicet spiritualia, quibus pariter, ac promissae vitae aeternae spe animos alere, atque magis magisque confirmare possint, *incipiens ab ultimis, usque ad primos*, i. e. ab iis, qui hora undecima sunt uocati, fac initium, deinceps, quos nona conduxit hora, sequantur, hos excipiant, qui sexta et tertia, denique ultimo, qui prima ablegati in uineam sunt. Inuerso nimirum hoc ordine Petrum eiusque commilitones edocuit Dominus, nullam hoc coram Deo praerogatiuam efficere, quod prior quis tempore sit uocatus, aut plus reliquis in Ecclesia laborarit, *Luc. XVII, 10*, sed posteriores etiam tempore, eandem cum prioribus, si fideles ad finem usque fuerint, mercedem ex gratia reפורturos esse, imo fieri posse, ut illis prioribus, si suis confiderent operibus atque meritis, anteferrentur. Illud uero, quod nonnulli teste IO. CALVINO apud BACKIVM, *l. c. p. 442*, commentum exculpere conati sunt, quod *in coelis sint coronandi illi prius, qui in fine mundi ordine temporis erunt postremi*, colligi ex hoc ordine nullatenus potest. Etenim hic, non de ea, quae in gloriae, sed quae in gratiae, regno est, coronatione sermo est, id quod supra iam dedimus euitum. Deinde ipse gentium Apostolus aperte, huic contradicit hypothese, quando *1 Thess. IV, 15*, ἡμεῖς, inquit, οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, ἔμμεν σωμὲν τοὺς κοιμηθέντας.

καὶ ἔλθόντες -- δηνάριον. Venientes igitur, prout iusserat Paterfamilias, circa undecimam horam conducti, accipiebant laeto gratoque animo, *Aët. XIII, 48*, ab ἐπιτρόπῳ, donorum spiritualium distributore, *Aët. II, 4*, *1 Cor. XII, 3, 11*, singuli, excluso nemine, *denarium*, i. e. eadem spiritus et fidei dona, *Aët. X, 44, sqq. Eph. IV, 3, sqq.* non ui operum suorum, quandoquidem pro merito ea non erant, sed ex mera gratia. Atque haec una e praecipuis parabolae pars est, qua Sospitator docet, mercedem perinde, ut uocatio in uineam gratiosa fuit, dari ex gratia. Quod ipsum calculo etiam suo comprobatur gentium Apostolus, *Rom. XI, 6*, *1 Cor. IV, 6, 7*. Si igitur ex gratia datur merces, fieri autem aliter non potest, audiendi Pontificii non sunt, quando pro operibus meritisque propriis, quibus dona spiritualia comparari ab hominibus aiunt, tanquam pro aris focusque decertant. Hac certe ratione nodum sibi obiectum non soluunt, sed dissecant. Notandi etiam hoc nomine Caluinianorum quidam sunt, qui ex loco praesenti colligunt, aequalem aliquando singulorum fore beatitudinem, nullosque eius gradus in uita aeterna futuros. Tantum enim abest, ut de gloriae regno sermo hic sit, ut potius, solum hic gratiae regnum obtinere, atque adeo aduersarios committere fallaciam, quae dicitur *ignoratio elenchi*, ex iis, quae supra disputata a nobis sunt, perspicere facile quilibet possit. Certe de regno gloriae aliter longe sentit

sentit Apostolus, quando, quemadmodum stella stellam splendore superat, ita in electis, aliorum gloriam maiorem aliis futuram, asseuerat, *1 Cor. XV, 41*. Distinguiamus saltem, necesse est, inter fruitionem beatitudinis, ut in scholis audit, formalem, quam, omnibus futuram eandem, libenter largimur, et inter beatitudinis accidentia, seu modum, quo eam possessuri sunt electi, in quo discrimen aliquod atque inaequalitatem fore, positum est extra controuersiam. Tanta enim est Dei benignitas atque δικαιοκρασία *Rom. II, 15*, ut ex gratia omnia atque singula opera, obseruata in praemiorum distributione proportionem, remunerari uelit, conf. *Matth. XVI, 27, Rom. II, 6, 1 Cor. III, 8*.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Vti, qui mercenariis diurnam pendunt mercedem, diuini mandati et iustitiae custodes sunt, *Leuit. XIX, 13, Deut. XXIV, 14, 15*, ita, qui mercedem detinent, clamans committunt peccatum, *Iac. V, 4*. Vtinam ergo, huius qui rei facinoris sunt, id potius darent operam, ne illo *Vae*, quod *Ieremias, c. XXII, 13*, comminatus est, tangeretur.
- II Firma pii spe esse possunt, quod, post exantlatos tandem labores, gratiae et promissionis merces praesto erit, *Matth. XXV, 21, 23, 34, 2 Tim. IV, 7, 8*.
- III Coram Deo non προσωποληψία, *Gal. II, 6*, non operum nostrorum merita, non iustitia nostra, *Ies. LXIV, 6, Luc. XVII, 10, Tit. III, 5*, sed meritum, iustitia, et gratia Iesu Christi, mercedem promissionis nobis impertiens, ualet. *Ierem. XXIII, 6, Ioh. I, 16, 17, Rom. III, 23, sqq. Eph. I, 3, sqq. II, 7, sqq. 2 Tim. I, 9*.
- IV Homini, etiamsi serius uocatus et conuersus fuerit, non obeft, *Ezech. XXXIII, 12, Luc. XXIII, 43*, eandem ille, quam ii, qui a primo matris, siue ab infantia, Ecclesiae fuerunt membra, mercedem, si modo usque ad finem uitae in fide perseverauerit, reportabit, *Apoc. II, 10*.
- V Praestet Deus, quod promissit, *Num. XXIII, 19*, eius ergo promissis, si uel maxime procrastinarentur, *Pf. CXXX, 5, sqq.* confide. Vespera enim mercedem secum feret.

VERSUS 10 — 12

- 10 ΕΛΘόντες δὲ οἱ πρῶτοι ἐνόμισαν, ὅτι πλείονα λήψονται, καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον. Λαθόντες δὲ ἐγόγγυζον κατὰ τὸ δικοδοσπότην, λέγοντες.
- 11 Ὅτι οὗτοι οἱ ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ ἴσους ἡμῖν αὐτὸς ἐποίησας, τοῖς βασάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν κάυσονα.
- Cum uero primi uenirent, putarunt, quod plus accepturi essent, sed acceperunt etiam ipsi singuli denarium. Accipientes uero murmurabant aduersus Patremfamilias, dicentes. Hi, quaeso, ultimi unam horam laborarunt, et aequales nobis eos fecisti, portantibus onus dici et aestum.

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι C

ΕΛΘόντες δὲ — λέγοντες. Cum uero primi, mane uocati, uenirent, certioresque, quod ultimi accepissent denarium, essent facti, putarunt, se, quandoquidem arduo integrum diem labori uacassent, πλείονα sc. δηνάρια, plures, aut singulos forte pro singulis horis, sicut illi, denarios accepturos esse. Quibus Petri eiusdemque commilitonum, omniumque eorum, qui meritis et operibus confidunt, ob eademque longe maiorem alitis mercedem atque praerogatiuam sibi pollicentur, ingenium ad uium usque exprimitur. Sed (Eo enim sensu sumitur uocula καὶ, uid. *Vindic. cit. p. 165.*) spe sua frustrati acceperunt, prout promissum eis a Patre familias fuit, v. 2, etiam ipsi singuli denarium. Neque enim plures eis denarios Paterfamilias debebat, quando plures non promiserat. Id quod si ii, qui primum uocati sunt, expendissent, oblatam sibi mercedem, et aequo animo, acceperunt, et summam Domini erga ultimos benignitatem pie admirati fuissent, debitisque celebrassent laudibus. Verum, cum acciperent denarium, data sibi mercede non contenti, murmurabant aduersus Patremfamilias, i. e. non tantum eum apud semet ipsos, quod nullam operum meritorumque rationem habuisset, aequitatemque obseruasset nullam, tacite sugillabant, sed etiam, cum liuoris adfectum reprimere non possent, aperte tandem audaciterque expostulare incipiebant, dicentes,

Ὅτι οὗτοι οἱ ἔσχατοι - - καὶ τὸν κάυσονα. Hi, quaeso, hi certe, (Hoc enim sensu sumi uoculam ὅτι, ex *Vindic. saepius cit. intelligitur, p. 287.*) ultimi unam, eamque uespertinam, horam, quae, uti libera a solis aestu est, ita molestia caret, fecerunt, scil. ἔργον, ὄπυς, siue, ut b. L V T H E R Y S transtulit recte, laborarunt, (Qua de phrasi uid. v v o l - F I I *Cur. Philol. ad h. l. et Vindic. N. T. p. 136.*) nec, quantum nos, tantum ipsi praestiterunt, et, nihilo tamen secius, aequales mercede, qui inae-

inaequales erant labore, eos nobis fecisti, portantibus onus diei, et praeterea aesum solis. Quae aequitas, quae proportio, quae iustitia haec est? Atque cum haec iniuria vox non solum in Patremfamilias, qui iniquitatis postulabatur, sed et in proximum, contra quem exarserat eorum invidia, fuerit eorum, qui primi, siue *maur*, uocati sunt, v. 15, quilibet intelligit, nullam sententiarum, pro aetatibus partim mundi, partim cuiuslibet sigillatim hominis, pugnantium, quando, quis in murmurantium numero habendus sit, quaeritur, locum habere posse. Nisi forte in illos absurditatis scopulos allidere quispiam uelit, sanctos etiam, quorum tantus est numerus, et infantes, liuoris aestu abreptos fuisse. Et quamuis excipiat CHRYSOSTOMVS *Homil. 65*, in h. l. hanc sibi ipsi proponens quaestionem, quaeritur, cur, cum recte primi laborassent, Deoque placuissent, et diuturno labore coruscassent, pessima liuoris et inuidiae passione uexentur? cum nullum ipsi detrimentum paterentur, nec de mercede sua quicquam diminueretur, moerore tamen ac molestia propter aliorum bona premebantur, quodque peius est, ipse etiam Dominus domus de iure aduersus eum, qui haec dixit respondens, liuoris ipsum ac nequitiae condemnat, dicens, Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, et uade, - - Quid ergo dicere possumus? nemo talia in regno coelorum de iure disputat, aut alios criminatur. Procul hoc absit. Nempe ille locus omnis liuoris atque perturbationis expers est. Si animas suas in hac uita pro peccatoribus sancti tradere solent, quanto magis, quando ibi aeternis bonis eos fruente uideant, gaudebunt, suum esse opus salutem ipsorum putantes. Quid ergo intendens his uerbis usus est? Audiores uoluit eos facere, qui decrepita aetate deieci sunt. Alios ergo introduxit moleste ferentes felicitatem eorum, non ut, inuidiae tabe morderi, ostenderet, sed ut, tanto illos honore frui, demonstraret, quantus ad inuidiam alios compellere posset, parum attamen hanc exceptionem, ingenio potius, quam ueritate respondentem, iuuare non nemo intelligit. Multo enim perspicua magis sunt *uersus 15* uerba, quam ut in dubium uocari, uel ex sancti uiri exponi sententia possint. Aliam igitur, ad limbum Patrum confugiens, uiam ingressus est GREGORIVS M. sed qua prorsus a ueritate in deuia deflexit, dum *Homil. XX* in h. l. *Potest quaeri*, inquit, quomodo murmurasse dicantur, qui ad regnum uocantur coelorum? Etenim regnum nullus, qui murmurat, accipit, nullus, qui accipit, murmurare potest. At sciendum, quod antiqui Patres, usque ad aduentum Domini, quantumlibet iuste uixerant, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderit, qui Paradisi claustra homini us, interpositione mortis suae, aperiret, eorum hoc ipsum murmurasse est, qui recte pro percipiendo regno uixerunt, et tamen diu ad percipiendum regnum di-

lati sunt. Quos enim, post peractam iustitiam, inferni loca, quamvis tranquilla, susceperunt, eis profecto et laborasse fuit in uinea et murmurasse. Qui ergo post murmurationem denarium accipiunt, qui post longa inferni tempora ad regni gaudia peruenerunt, eorum hoc ipsum murmurasse est. Nos autem, qui ad undecimam uenimus, post laborem non murmuramus, quia post mediatoris aduentum in hoc mundo uenientes ad regnum ducimur, et mox, ut de corpore eximus, illud sine mora percipimus, quod antiqui Patres cum magna percipere dilatione meruerunt. Rectius certe cum HILARIO et HIERONYMO in h. l. τὸ murmurare de inuidia accipit AVCTOR Oper. Imperf. Homil. 34, scribens, Illi non dolebant, quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius, quam merebantur, acceperant. Hoc est enim proprium inuidiae, quando alteri aliquid additur, sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subdudum, quod illi est additum. - - Intelligis, quod ex uana gloria nascitur inuidia. Nam ideo dolet esse secundus, qui desiderat esse prior. Atque hic erat uerus morbus, quo Petrus aequae, ac reliqui Apostoli laborabant. Hoc cruciati promissum aliis thesaurum inuidebant, Christamque, Petro usi interprete, conueniebant, Matth. XIX, 27, dicentes, ἰδὲ ἡμεῖς ἀΦίκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμεν σοί. τί ἀρα ἔσται ἡμῖν; quid quaeso, nobis erit praecipuum? quae praerogatiua, si eadem, quae nobis, etiam reliquis promittis? Hoc morbo filii etiam Zebedaei correpti affectabant πρωτοκλισίαν Matth. XX, 20, 21, 24, hoc morbo et reliqui Apostoli affecti de prima dignitate praecipuaque inter se contendebant, Matth. XX, 24, Marc. IX, 34, 35. Maiorem enim mercedem, maiora praemia, maiorem denique dignitatem, sibi, quod primi uocati, Dominum per tot discrimina rerum secuti, aestumque persecutionis perpeffi fuerant, quam reliquis, iure deberi, arbitrabantur. Hac denique lue infecti reliqui, sine discrimine, Iudaei tum temporis omnes fuerunt, qui non leuem prae gentibus praerogatiuam affectabant, unde et, parem gentibus atque sibi, promissionis mercedem conferri, non inuidere non poterant, uid. Act. XI, 1 - 18, XIII, 45. Inflati nimirum fastu intolerabili, uti, plus gentibus laborasse sese, opinabantur, ita, operibus suis spiritus ac uitae aeternae dona solos se promereri posse, iactabant, Rom. IX, 30, sqq. quandoquidem ipsi essent, qui Abrahami posterii existentes, et circumcisi, legisque onere ac aestu pressi fuerint, Io. IIX, 39, Rom. III, 1, 2, IX, 4, 5. Huic ergo Apostolorum et Iudaeorum, et quotquot eodem infecti erant, morbo medelam allaturus Dominus, parabolico suo sermone eos monuit, ut ad saniorum redirent mentem, simulque agnoscerent, quae Deus impertit, fidei atque uitae aeternae dona, gratiae, non debito, promissioni, non autem meri-

merito, tribuenda, et in acceptis ferenda, esse. Ostendit denique periculum, quod uanam hanc persuasionem nexu indiuiso comitabatur, eos scilicet, nisi meliora saperent in murmurantium et ultimorum numerum relatum iri. Conf. quae ad sequentes uersus dicentur.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I] Nolite, mortales, altius, ac par est, sapere, nec plaris, quam decet, opera meritaque uestra aestimare, *1 Cor. IV, 6*, multo minus iisdem confidere. Deo enim nil, nisi fides, *Rom. IV, 5, 16*, merito gratiaque Iesu Christi innixa, accepta est, *Ebr. XI, 6*, uid. ad uers. antec. *προσοικ. III.*
- II Quo digniores sibi uidentur operantes, eo indigniores apud Deum sunt, et, quo minori eos, qui credunt, dignos mercede iudicant, eo maiorem hi accipiunt, *Rom. IX, 30, seqq. 2 Tim. IV, 7, 8.* Ab operum igitur iactantia, quisquis es, caue, ne gratia excidas, Christumque amittas, *Gal. V, 4, 5.*
- III Operosa fides est quaestuosa, quaestuosa est inuida, inuida est nulla fides, sed inter opera carnis referenda, *Gal. V, 19, 20.* Nolite ergo, quicumque inflati inuidia estis, uobismet ipsis, quasi in fidei statu essetis, adulari, estis enim a fide, a gratia, et a Christo prorsus alieni, *Gal. V, 20, 21.*
- IV Mirabilis quanquam, quo Deus in oeconomia salutis agit, iustus tamen modus est, *Psal. CXLV, 17.* Dona etsi inaequaliter, sapientissime tamen, distribuit Dominus. Noli ergo Deo obloqui, noli obmurmurare, *1 Cor. X, 10, 11*, noli facta eius, qui in omnibus uis suis iustus est, censere, sed abstrusas eius rationes pia reuerere mente, *Rom. XI, 33.*
- V Tum tua contentus forte uiue, tum proximi forti ne inuide, multo minus alto eum despice supercilio, *Rom. XIV, 10, 1 Cor. I, 28, Phil. II, 2, seqq. 1 Tim. VI, 6, Iac. IV, 2.*
- VI Virtute tua gloriari noli, nisi enim a Domino eam accepisses, *1 Cor. IV, 6, 7*, nec exercere solerter, nec persecutionum aestum, crucisque onus, forti portare animo potuisses, *2 Cor. XII, 9, 10.* Agnosce ergo et uirium tuarum imbecillitatem, et Dei, qui te confortat, atque, ut uelis et efficias bonum, efficit, et onus quodlibet ferre iuuat, beneuolentiam, *Ies. XLI, 10, XLIIX, 17, 1 Cor. XV, 10, 2 Cor. III, 5, Phil. II, 13.*
- VII Quemadmodum, si quae praestitisti, aut quid praerogatiuae consecutus es, non meritis id tuis, sed gratiae Dei, *1 Cor. IV, 7, XV, 10*, adscribendum esse, memineris, ita, si prouectiori tibi aetate iuuenis, si digniori indignior, anteferatur, caue, conqueraris, multo minus aduersus Deum murmures. Eius enim, qui praeterea nihil tibi debet, uiae abstrusae sunt, ut perferuari eas nemo possit, *Rom. XI, 33. 35.*

VERSUS 13 — 15

13 Ο δὲ ἀποκριθεὶς ἔπεν ἐπὶ αὐτῶν. Εταί- *Ille vero respondens dixit uni eorum.*
 ρε, οὐκ ἀδικῶ σε· οὐχὶ δηνάριον συν- *Amice, non facio iniuriam tibi. Nonne*
 14 εφώνησάς μοι; Ἄρον τὸ σὸν, καὶ ὑπα- *denario conuenisti mecum? Aufer tuum,*
 γε· θέλω δὲ τούτῳ τῷ ἐσχάτῳ δοῦναί σοι *et uade. Volo autem huic ultimo dare,*
 15 καὶ σοὶ Ἡ, οὐκ ἔξεστὶ μοι ποιῆσαι, ὁ θε- *sicut et tibi. Aut, nonne licet mihi fa-*
 λω, ἐν τοῖς ἐμοῖς; ἢ, ὁ ὀφθαλμὸς σου *tere, quod uolo, cum meis, aut, oculus*
 πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι; *tuus malus est, quod ego bonus sum.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Ο δὲ — συνεφώνησάς μοι; *Ille uero Paterfamilias, aduersus quem ope-*
 rarii, qui conducti primi fuerant, murmurauerant, *respondens ad eorum gra-*
 uamina, quo grauissimi agrestes hos et immodestos homines erroris, crimi-
 nisque, in suam iustitiam et libertatem admissi, conuinceret, *dixit* (De phrasi
 ἀποκριθεὶς ἔπεν, quam Pleonasmus et Ebraismi falso insinularunt plerique,
 uid *Vindictiae* saepius laudatae p. 293, sqq.) *uni ipsorum*, qui reliquorum sine du-
 bio interpret erat, quemque facta Patrisfamilias male prae ceteris habebant,
 adeo, ut, more *Petri*, *Matth. XIX, 27*, expostulare cum eo non dubitaret. Quo
 ipso tacite malefanum, sine dubio, *Petri* factum notatum Sosipator optimus
 uoluit, qui ad sanio rem mentem eum, omnesque eius similes, reuocaturus blan-
 de admodum eum alloquitur, *Amice*, tecum expende, *non iniuriam tibi facio*,
 quod aequè in reliquos, qui serius uocati te fuerunt, ac erga te benignus
 sim. Tuae enim mercedi, cum omnino denarium, quo conueni tecum, acce-
 peris, utique nihil decessit. *Nonne*, cedo, negare non poteris, denario, quem
 sponte tibi obtuli, *conuenisti mecum?* *Nonne* eundem accepisti? *Eccur*
 igitur, inuide, murmuras? *Cur* tuis, quae auaritiam inuidiamque spirant,
 querelis, molestus mihi tantopere es?

Ἄρον τὸ σὸν - ἵς καὶ σοὶ. *Tolle tuum*, quem forte more indigna-
 bundorum et importunorum hominorum proiecerat, denarium. Ita uero Do-
 minus, pro longanimitate sua, eundem, ut ad se redeat, monet, ne *suum*,
 quod uel promissionis datum ei erat, inuidia dementatus turpiter perdat.
Tolle, inquit, *tuum* denarium, eodemque contentus abi. Atque hic quidem
 A V G V S T I N I illud cap. 52, de *Nat. et Gratia*, *Tolle, quod tuum est, tu-*
um autem est nihil, nisi peccatum, afferunt. At enim uero ueremur, ne, si ad
 hunc locum, eius hocce effatum applicetur, a scopo penitus abluant. *Non*
 enim, per *tuum*, quod a se habebat murmurans, sed denarius, quem a Patre
 familias acceperat, atque, ut tolleret, et in suam utilitatem asseruaret, iube-
 batur, intelligi hic debet. Admonentur ergo *Petrus* et reliqui Apostoli, ne,
 pro

pro operum meritorumque dignitate, promissionis mercedem, maiorem aliis, sibi datum iri, uana sibi fiducia persuadeant, cum una sit eademque fidei merces, una eademque eius promissio, non operibus demerenda, sed grata mente, quia gratis datur, accipienda. Ut uero suum errorem murmurantes eo magis agnoscerent, prouocat Paterfamilias, tam ad libertatem, qua in dispensandis donis suis gaudet, tum ad uoluntatis benignitatem. Sic enim inquit, *Volo autem huic ultimo*, pro meo lubitu ac liberalitate, dare denarium, sicut et tibi dedi. Et ad *ultimum* quidem quod attinet, ORIGENES, ad h. l. ut per eum *Paulum* significari, ait, ita per primum murmurantem Adamum forte intelligendum putat. Verum, si quod hic intelligendum indiuiduum esset, meliori iure *Petrus*, Apostolorum orator, huc referretur, quam Adamus, qui, prout supra enunciatum est, huc profus non pertinet. Quis uero per *ultimum*, *Paulus*ne, an *Matthias*, *Act. I*, 26, an uero latro ille cum Christo in infelicem arborem actus, *Luc. XXIII*, 40, *sqq.* aut alius quispiam indigetur, dici determinate nequit. Videtur interim nobis, *ultimum* uel oppositionis, ad *primum* illum, quem reprehendit Dominus, pro *ultimis* poni, aut, quia ipsi prae ceteris inuidebat ille immorigerus denarium. Atque hic, probe notari, uolumus, duplicem murmurantium classem esse constituendam. Ut enim alii corrigi se patiebantur, v. g. Apostoli et Iudaei illi, de quibus *Act. XI*, 2, 3, coll. *v. 18*, sic alii correctionis impatientes, spemque emendationis eludentes, sponte se ipsos oblati sibi promissionibus spoliarunt, quorum exemplum uidere est, *Act. XIII*, 45, *sqq.*

Η οὖν ἐξέτι μοι - ἀγαθός εἰμι. Aut, quid contendis impudens, nonne licet mihi facere, forte a tuis dependeo operibus, quae tu tanti aestimas, cum tamen nulla sint, *Apo. III*, 15, *sqq.* Numne adeo gratiam benignitatemque meam ad tua restrictam uelis merita, ut non liceat mihi facere, quod uolo cum meis facultatibus? Quibus, detestandam murmurantium importunitatem refellentibus uerbis, duo potissimum sistuntur momenta. Primum est turpis, tum ipsorum Iudaeorum, tum et omnium eorum, qui operum meritis quandam sibi praerogatiuam arrogat, impudentia, alterum autem liberam, et ad nulla hominum opera determinatam adstrictamque Domini uoluntatem, *Luc. XVII*, 10, *Rom. XI*, 35, ponit ob oculos. Quae iterum duo alia consequuntur, nimirum et murmurantium inuidia, et insignis Patrisfamilias benignitas. Hoc enim sibi uolunt uerba, *Aut oculus tuus malus est, quod ego bonus sim?* i. e. benignus, omnibus ac singulis in uniuersum gratiam meam conferens. Ut, igitur, omnia breui complectamur summa, sensus est. Causa indignationis uestrae est, non quod iniuste egerim, aut erga uos fuerim iniquus, sed execranda illa, quae animos uestris discruciat, inuidia, qua exhibitam ex gratia benignitatem meam proximi.

proximo uultis detractam. Hanc uero inuidiam oculo malo exprimit Sospitator, quia, ut recte b. WOLFIVS in *Cur. Philol.* ad h. l. notat, inuidia oculos quasi obsecrat et deturpat, contra uero liberalitas clariore, amveniores et suauiores reddit. Recte quoque b. LUTHERVS eandem phrasin uoce *scheel* reddidit, de qua lege STADENII *Observationes de uocib. Bibl. Germ.* p. 131, conf. et laudatus a WOLFIO KEVCHENIVS in *Annot. N. T.* ad h. l. quo obseruante, oculus *πρωγός* inuidiam notat cum tristitia, immo cum indignatione et auaritia, coniunctam. Eodem sensu *Prou. XXIII, 6*, homo inuidus et auarus *עין רע* malus oculus adpellatur, conf. *Eccles. XXXI, 14, 15*, uideantur etiam apud WALAEVM in h. l. CASAVBONVS et DRVSIVS. Malo autem hominis oculo, bonitatem, i. e. benignitatem et liberalitatem suam opponit Paterfamilias, his uerbis, quod ego bonus, liberalis, et benignus *sim* erga eos, qui meam operibus ac meritis promeriri gratiam non sunt. Conf. HAMMONDVVS in *Not. N. T.* ad h. l. Ex quibus euidentissime scopus totius parabola elucescit, qui non alius est, quam, quem supra inculcauimus, ea, quae in regno Christi consequuntur fideles, non operum meritis, sed benignitati, gratiae, atque liberalitati diuinae unice adscribenda esse.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Imitemini, mortales, immortalis mansuetudinem, lenitatem, blandamque linguam, qua ille errantes argumentis, non disteriis, corrigit, importunos agrestesque humaniter excipit, non obiurgando, sed conuincendo, *Matth. XI, 28. Gal. VI, 1. Eph. IV, 32. Coloss. III, 12, 1 Tim. VI, 11. 2 Tim. II, 24, sqq. Tit. III, 2, 3, 1 Petr. II, 21, 23, III, 16.*
- II Vri cuique, quod suum est, tribuit, ac seruat promissa, Deus, *Num. XXIII, 19*, nec ulli iustus ille facit iniuriam, *Deut. XXXI, 4, Psalm. LI, 8*, ita absolui malitiae crimine nequeunt homines, cum a bonae conscientiae et fidei pacto, cum Deo stipulato, et recedant turpiter, et ad opera, quibus tamen nihil merentur, confugiant. uid. ad uers. 1 *προσοικ. I.*
- III O utinam iniusti, iustissimi exemplo, pacta seruanda esse, discerent, utinam non plura, quam pacta decernunt, ab aliis exigent!
- IV Nefandam auaritiam, radicem illam omnis mali et perniciiei! *Luc. XII, 20, 21, 1 Tim. VI. 9, 10.* Detestandam inuidiam, diaboli et carnis opus! *Sap. II, 24, Gal. V, 19, sqq.* Cauete uobis, mortales, ab his infortunii scopulis.
- V Sorte tua contentus, nec, quae proximi sunt, auaritia abreptus concupisce, nec inuido eum oculo excipe, *Exod. XX, 17.* Nihil enim eo efficis, *Iac. IV, 2*, nisi tranquillitatis animi, (Inuidus enim homo semet ipsum absumit,) uitaeque aeternae iacturam. Vid. *προσοικ. antec.*

VI Pro-

VI Proximus si tibi inuideat, discrucari noli, sibi ipsi obeſt, non tibi. Virtutem enim sine inuidia marceſcere, nec quiequam inuidum tibi oculum apud Deum praeiudicare, ſcias.

VII Benignitati ac libertati diuinæ caue, legem praecribas, multominus cum Deo, qui nihil tibi debet, *Rom. XI, 35*, de pluribus, quam, quae ex gratia largitur, *1 Cor. XV, 10*, expoſtula. Haec enim ſunt iniuſtitiae et incredulitatis tuae opera, quibus Dei in te iram coaceruas, *Rom. II, 5, ſqq.*

VIII Vae iis, qui opera urgent, qui merita iactant! Benignitatem illi Dei deſpiciunt, *Act. IV, 12*, gratia excidunt, Chriſtum amittunt, *Gal. V, 4*. Hanc igitur perſuaſionem, quotquot ſalutem amatis, angue peius fugite.

VERSUS 16

16 Οὕτως ἔσονται οἱ ἔχρατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔχρατοι. Πολλοὶ γὰρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. Sic erunt ultimi primi, et primi oī πρώτοι ἔχρατοι. Multi enim ſunt uocati, pauci uero electi.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Οὕτως ἔσονται οἱ ἔχρατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔχρατοι. Ita, qua uoce innuitur parabolaε ἀποδώσει, idem eueniet in regno coelorum, i. e. gratiae, in quo, ueluti mundanum eſſet, uos πρωτοκλισίαν affectatis, *Matth. XVIII, 1*, coll. *Luc. IX, 46, Matth. XX, 20, 21, 24*, quod et, populares ueſtri, Iudaei, iure ſanguinis Abrahamitici, operumque ſuorum absolute ſibi deberi, falſo ſibi imaginantur, *Iob. IIX, 39, Rom. IX, 31, 32*. In hoc igitur regno ultimi, i. e. gentiles et Iudaei omnes, qui in me credituri finaliter ſunt, ultimo uocati, quos contemnes, iſtis uitae aeternae felicitatem inuideatis, erunt primi, propter fidem ſuam ſinalem, atque, quod uos praepoſtere haecenus affectaſtis operibus, conſequentur gratis, *Rom. IX, 30*, et primi, Iudaei, qui, quod primum uocati eſſent, maximam prae ceteris praerogatiuam ſibi deberi, putant, erunt ultimi, i. e. poſthabebuntur, atque, niſi corrigi ſe paſſi fuerint, excludentur. Quibus tacite ſoſpicator ad diſcipulos ſuos orationem inſeclit. Quodſi ea, quae ex gratia promiſſa, et ſolius fidei ſunt, obtinere, nec, qua ſtatis, gratia excidere, uultis, deſinatis uelim, meritis ſanguini, uocationiſque prioritati, conſidere, ne, cum plerisque reliquorum popularium ueſtrorum, ob eandem hypotheſin incredulis, ex primis fiatſi ultimi, indignosque uoſmet iſſi, cum iis, uita aeterna, quae ex gratia uobis obtingit, faciatis, *Act. XIII, 46*. Nam

Πολλοὶ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. Multi Iudaeorum actu ad Eccleſiam meam ſunt uocati, qui etiam ad tempus actu uocationem admiferunt, eiſdemque opera exſecuti ſunt, ſed pauci eorum, quia denarium ſibi datum, ſiue gratiam, in Meſſia oblatam, plerique turpiter ſpreuerunt, et a fide receſſerunt, uid. u. g. *Matth. XXI, 9, XXII, 22, 25, Io. VI, 66, ſqq. Act. XIII,*

47--50. cet. *sunt electi*, ad praerogatiuam illam, quam sibi imaginabantur, obtinendam, eo quod eam non ex fide in Iesum Christum, praeter quem nulla datur salus, sed ex operibus quaerant, *Aët. IV, 12, Rom. IX, 30, sqq. Eph. II, 8, 9.* Hac itaque ratione si accipiatur parabolae scopus et sensus, prout ui nexus, qui in contextu est, accipi debet, intelligitur suapte, totam parabolam omni carere difficultate, de qua haecenus interpretes conquesti, et uarias, inprimis qua v. 16, ingressi sunt uias, de quibus, nisi, tum tempore, tum chartarum excluderemur argustia, multa nobis dicenda restarent. Interim in genere saltem, tribus, quod aiunt, uerbis eorum dabimus hypotheses, qui infelicitate prorsus sensum huius dicti peruerterunt. Quo referendi sunt primum *Reformati* ii, qui, uocationem Dei esse particularem, inferre hinc uolunt, et, quod Deus nollet omnes uocari, multos tantum dici uocatos. Enim uero, cum non de uocatione omnium hominum, quae uniuersalis utique est, *Matth. XXIII, 19, Rom. X, 18, XVI, 26, Coloss. I, 23, 1 Tim. II, 4, 2 Petr. III, 9,* sed de uocatione eorum, qui primum in uineam erant inuitati, i. e. Iudaeorum, sermo sit, frustraneae omnino omnes exceptiones eorum sunt. Deinde huc et ii pertinent, qui electionem absolute factam exculpere hinc contendunt, parum attendentes, quod causae tum electionis, tum reprobationis, praecedant, quarum illius est gratia et fides, huius uero, gratiae contemptus, meritorum iactantia, et incredulitas. Plura de his uid. apud b. DIETERICVM in *Analyf. Euang. P. I, p. 282, sqq.* Conf. qua diuerfas Auctorum sententias, CALOVIUS *Bibl. Illustr.* ad h. l. et, quos VOLFFIUS in *Cur. Phil.* ad h. l. excitat.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Ξ Ι C

- I Ut neminem inter homines, absolute, sed fide in Christum Iesum praeuifa elegit Deus, *Iob. III, 16, Eph. I, 3, sqq.* ita neminem reprobaui absolute, nisi ob incredulitatem finalem, *Iob. III, 18, Matth. XXIII, 37, sq. Aët. XIII, 46.* Desine ergo, improbe, Deum reprobationis absolutae postulare. Recordare uocis Saluatoris, *Matth. XXIII, 37. Conf. Ies. III, 9, Ez. XXXIII, 11.*
- II Non te, quod a prima infantia sis Ecclesiae membrum, iuuabit, nisi ad finem usque uitae in fide et pietate perseueraueris, *Ezech. XXXIII, 12, 13, Matth. X, 22, Apoc. II, 10, III, 11.* Contra uero, peccatori, qui tempus uitae impietate triuit, non obest, si modo sub finem uitae ad Deum conuersus, in fide ad finem usque persistenterit, *Ezech. XXXIII, 14, sqq.*
- III Saepè ii, qui primi sibi uidentur, speciemque pietatis praeseferrunt, sunt ultimi et reprobi, *Apoc. III, 17, 18.* Noli ergo, qui stare tibi uideris, superbire, sed uide, ne cadas, *Rom. XI, 20, sq. 1 Cor. X, 12, 2 Pet. I, 10,* tuamque salutem cum metu et tremore operare, *Phil. II, 12.*
- ad 14 IV Cum pauci ex multis uocatis sint electi, eo contende, ut inter paucos istos sis, qui uitam aeternam reportabant, *Luc XIII, 23, 24,*
- V Tene contra hostes tuos probe, non multitudinem uel amplitudinem esse notam uerae Ecclesiae. Conf. *1 Reg. XIX, 14, 18, Matth. VII, 13, 14,*

ad. 14.



01 A 6501

ULB Halle
002 927 330

3



86

12





12

Q. B. V
DISSERTATIONEM
PHILOLOGICO-EXEGETICAM

DE
GRATVITA OPERARIORVM
IN VINEAM CHRISTI VOCATORVM
MERCEDE

AD ILLUSTRANDAM DOMINI PARABOLAM
MATTH. XX, 1-16

PRAESIDE
CHRISTIANO SIGISM. GEORGIO

PHILOLOGIAE PROFESSORE PVBlico
AD KALENDAS MAIAS A. R. S. clō Id cc XLV
IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET
AVCTOR

IOANNES HLIVAI ZOL. HVNGARVS

